PARS
THEORETICA.

I
ti
ac
ap
ve
ca
in
m
tu
di

le
cu
in
P
co

CAPUT PRIMUM.

GENERALIA DE MATERIA MEDICA.

Definitio.

Illa medicinæ pars, quæ docet corporum medicantium adparatum, eorum virtutes, doses, agendi adplicandique modos, materia medica vulgo, aptius Pharmacologia vocatur. Quæ quidem versatur circa omnia corpora naturalia, vim medicantem possidentia; speciatim vero circa illa, quæ in officinas pharmaceuticas recipiuntur, atque pharmaceuticum adparatum, proprie dicendum, constituunt. Excluduntur ergo ex hac doctrina omnia diætetica & chirurgica auxilia.

Diversis in regionibus, diversus — quod dolendum — adparatus pharmaceuticus in usum medicum venit. Noster propterea adparatus illa solum includit corpora medicata, quæ in recentissima Pharmacopœa Austriaco — provinciali Anni 1794ti continentur, aut ad quæ Servanda Pharmacopœi

publica lege stringuntur *). Singulis interim practicis non prohibetur, extranea quoque, atque alia, tum obsoleta, tum & neoterica adplicare, dummodo prostent in officina quadam pharmaceutica. Neque negatur, practicum medicum, omnium omnino naturalium corporum, eorumque virium, aliquali notione opus habere. Attamen in tanta objectorum farragine, materiæ medicæ studium ad illa solum restringere se potest corpora, quorum medicatrices vires efficaces sufficienter deprehensæ, & quæ proinde in usum publicum ad officinas pro aliis accepta sunt. Absentium enim nullus usus esse potest **).

Exinde abunde elucet, ea, quæ in officinis non continentur, stricte ad materiam medicam non

*) Nolumus illis adnumerari, qui omnibus cum Dispensatoriis, recentibus æque ac antiquis incontenti, meliora tamen ipsimet substituere nesciunt. Accipimus libenter ea, quæ tanti viri Augustorum & consensu & jussu nobis selegerunt. Neque semper, quæ nobis superflua videntur, & aliis erunt; aut quæ nobis, in consuetudine potius, quam in valore sunt, aliis quoque eodem pretio tenentur. Composita præcipue pharmaca — quorum numerus quidem multum restringendus, dum individualibus indicationibus non semper justo satisfacere valeant — composita inquam pharmaca de lege præscripta, si quæ alicui non arrident, propriis melioribus magistraliter formandis substitui ad libitum possunt.

**) Videtur intentio nostri Regiminis esse, vix non omni decennio Pharmacopœas emendare, a superfluis expurgare, delectis recentioribus ditare. Idem ergo cum materiæ medicæ studio quodammodo necesse erit.

pertinere. Possunt quidem talia, tum domestica, tum alia, ad adparatum medicum spectare, sed ad pharmaceuticum stricte non spectant. Eo minus talia indicata; quæ ex adparatu chirurgico hauriuntur, uti venæsectiones, hirudines, & similia, in nostra de pharmacis doctrina occurent. Attamen materia chirurgica vulgari in sensu, utut Acologiæ pars, sive externorum pharmacorum doctrina, a medica nostra non separabitur. Minime autem Diætetica, male in solo cibo & potu ponenda, cum medica materia conjungenda nobis videtur. Demum & venenorum — qua talium — nulla fieri potest mentio in doctrina de corporibus medicatis; nam nullus iis potest esse locus in illo adparatu, ubi mera medicantia corpora quæruntur. Loquor autem de illis, quæ absoluta venena semper sunt; aliarum enim tum & venenatæ, tum & medicatæ vires, relativæ solummodo sunt.

Objecta.

Elucescunt exinde vera materiæ medicæ objecta. Quidquid enim vires medicatrices possidet, atque eo scopo in officinis pharmaceuticis tenetur, materiæ medicæ objectum est. Hæcce objecta ex omnibus tribus naturæ regnis petuntur.

Auxilia hujus doctrinæ.

Subponit propterea hæcce materiæ medicæ doctrina, cognitiones tum generales, natura-

les, chemicas; tum speciales, pharmaceuticas *), therapeuticas.

Historia præprimis naturalis, seu Physiographia, docet corporum medicantium caracteres systematicos, formam eorum externam, sive criteria sensus ferientia, nomina, loca nativa, culturam, nec non detectionis eorum fata & historias.

CHEMIA tractat corporum medicatorum principia tum generalia, tum specialia, eorum inter se relationem, miscelam, atque inde exoriunda attributa varia.

PHARMACIA eorumdem corporum in usum medicum legendorum, servandorum, præparandorum modum, sinceritatem, virium artificialem exaltationem, imminutionem, salubremque cum aliis mixtionem, nec non formam adplicandorum exhibet, simulque gustus gratiæ, absque virium detrimento studet.

THERAPIA denique tum generalis, tum specialis, ex sinceris observatis & experimentis eruit eorum in morbosis adfectionibus rite adhibendorum rationem, atque variam pro datis circumstantiis modificationem; actuosa ab inutilibus

*) Pharmacia, sive medicaminum in usum medicum præparandorum doctrina Pharmacologiæ summe quidem adfinis scientia est. Attamen, cum in nostris Universitatibus separatis e cathedris doceatur, pharmaceutica principia — generalia saltem — a nostro scopo distincta quodammodo sunt.

separat, necessaria a superfluis; doses definit, & modos exhibendi optimos.

Atque omnibus hisce e fontibus, quin & e pluribus, mechanicis, physicis, œconomicis &c. materiæ medicæ auxiliaria hauriuntur.

CAPUT SECUNDUM.

HISTORIA ET FATA HUJUS DOCTRINÆ.

Aetas.

Quamdiu medica inter homines ars existit, tamdiu corporum naturalium medentium aliqua cognitio existere debuit. Simplicissimus ille adparatus primis in ævis absque dubio fuit, sub duce Empiria, aut sub mera analogica imitatione eorum, quæ tum homines, tum animalia instinctus naturales, auxilii tentandi necessitates, aut ipsi fortuiti casus edocuerunt. Magnam vero dein, ingentemque in molem excrevit seriori tempore, ævis tum empiricis, tum hypotheticis, dum sectæ medicorum variæ singulares in singulis pharmacis vires quæsiverint, absurdas de viribus corporum medicatricibus ideas sibi formaverint, superstitionibus ridiculis adhæserint, & fatuas in compositionibus locupletissimis fiducias posuerint, proinde copiam pharmacorum, vegetabiliumque præcipue, indies absque necessitate adauxerint; donec sincerior

physica, chemica atque therapeutica doctrina meliores de viribus medicaminum ideas subministraverit. Vix non pristinam iterum in simplicitatem redeuntem ergo speramus, si simplices naturæ in ægritudinibus producendis & medendis vias felicius investigabimus.

Fata in variis ævis.

Videbimus jam, quænam fata hæcce medicinæ pars variis in ævis, ad nostrum usque, perpessa fuerit *).

Tempora mystica.

Prouti artis medicæ inventæ, ita & primorum medicaminum detectorum notitiæ summe obscuræ & fabulosæ sunt. Verosimillimum est, priscos mortales plantas præcipue in auxilia corporum ægrotorum adhibuisse; atque ita medica materies novis adnotationibus indies aucta est, quæ ad nepotes, per continuam quasi catenam, de manu in manum

*) Liceat mihi in hoc capite plurima excerpere ex libro quoad hæc objecta omni laude superiori, historia scilicet pragmatica artis medicæ, viri maximi Curt. Sprengelii tum ex egregia ad mentem ejus concinnata dissertatione Car. a Khittel, facta doctrinæ de viribus medicaminum exponentis, Halæ 1792 editæ; cujus præcipua momenta, si denuo publici juris fiunt, ob raritatem hujus opusculi, non ingrato corde a tironibus suscipienda forent.

transiverunt. In calidis febribus vis benefica refrigerantium cucurbitarum, aquæ ipsius; in diarrhœis vis aromatum facile innotuit. Desideria quoque huc multum conferebant vehementiora certi cibi potusve, quæ nonnunquam in morbis superveniunt, & quæ sæpe feliciter cedunt. Sitis & acidorum amor in morbis acutis est inter vulgaria exempla. Desiderium halicum in diabete, uvarum in dysenteria &c. vim horum corporum medicantem edocuit. Casus quoque fortuitos medicaminibus detegendis occasionem dare potuisse, celeberrimum exemplum dat Cinchonæ arbor, cujus truncus in stagnum delapsus aquam amaricantem reddidit, quæ Peruviæ indigenas a febre intermittente liberavit. Imo ab ipsis animalibus eorumque instinctu nonnullorum medicaminum vires homines didicisse; & præcipue barbaris gentibus medicamina quædam tali modo innotuissi credi potest Hallerus.

Aegyptus.

Aegyptus, uti plerarumque artium, ita etiam potissimum medicinæ mater fuit. Ex Herodoti & Diodori scriptis elucet, in Aegypto jam purgantium, emeticorum, balneorum, clysmatumque usum innotuisse; quin & vegetabilia plura, scillam, adianthum, aromata resinasque varias varium in usum medicum veniisse, & composita medicamina multa inventa fuisse. An vero, quod Galenus & Bergmannus testantur, emplastra & unguenta cum ærugine & cerussa parare jam sciverint, in dubium merito vocari potest. Su-

perstitiosa simul plurima & vana in eam medicinam irrepsisse, negari nequit. Nec mirum est, & morbos, & eorum sanationem, & medicaminum vires, tanquam Deorum ipsorum immediata opera tunc fuisse considerata. Quare ab ipsis solum sacerdotibus medendi ars exercebatur, eorumque in familias hæreditario modo transscendebat.

Seculum circiter XVI. ante Christum natum.

Osiridis Isidisque, primorum artis nostræ parentum, pluriumque medicaminum inventorum aut filius, aut coævus, aut in imperando successor Hermes Trismegistus variis scientificis notitiis, & medicis exornatus in antiquis auctoribus legitur. Fertur eum 42. libros humanæ scientiæ scripsisse, quorum sex ultimi doctrinam de anatome, de morbis, de instrumentis chirurgicis, & de medicaminibus tractasse dicuntur, qui tamen a Galeno & aliis pro genuinis non agnoscuntur *).

Seculum XV. ante Christ. nat.

Cum dein Rex Minos in Græcia imperaret, atque navigationem populorumque commercium

*) Libellos manuscriptos de herbis sacris duodecim signorum Zodiaci, & de notis ponderum & mensurarum in Bibliotheca Vindobonensi adservari, Hallerus refert.

multum promoveret, Aegyptiorum de medicina & pharmacis notitia, cruda adhuc & misera, uti fuit, in Græciam transferebatur, ubi simili hucusque modo morbi hominum qua destinationes Deorum considerati, sibique ipsis relicti, aut precibus meris & sacrificiis sub miris ceremoniis impugnati fuerunt. Reliqua hujus ævi fabulosa mere sunt, & mythologica. Medicos tunc divina fere auctoritate gavisos esse, plurimi testantur.

Seculum XIII. ante Christ. nat.
Tempora heroica.

Ast Chiron Centaurus jam primus inter homines numeratur, qui medicam artem exercendo, vegetabilium usum ad rem medicam adplicuit & variis cum plantis vulnera sanare scivit. Speciatim rei herbariæ & materiæ medicæ auctor a Plinio perhibetur. Nomen ejus in hodiernum diem gerit planta centaureum adpellata, quæ & chironium olim dicta est. Melampus, qui herbæ suum nomen reliquit, tunc quoque jam crocum martis & veratrum album; Achilleus æruginem & millefolium ad hodiernum diem ab ipso nominatum; Heracles helleborum contra maniam in usum traxerunt; atque Hecate napellum & alia venena detexit. Celebris vero Aesculapius Græcorum, nullum cognitum augmentum materiæ medicæ dedit, quum morbos quam maxime diæteticis, purgantibus & emeticis tractasset; neque a filiis ejus Machaone & Podalyrio aliquid præstitum

fuit, nisi quod posterior, venæsectionem primus instituisset.

Postea vero in ipsa Græcia, per multa secula, tum ars medendi, tum medicaminum cognitiones non multum excultæ videntur; donec a sacerdotibus sensim artis hujus exercitium in profanos, etsi mystico & symbolico modo transiverit, atque posterioribus, in insula præcipue Cnidos, varia vegetabilia, uti semina mezerei, euphorbia, scammoneum, colocynthis, bryonia, aliaque utplurimum drastica, in me-dicum usum vocari inceperint.

Secula VI. V. ante Christ. nat.

Ipse Pythagoras a sacerdotibus ægyptiacis præcipue, variorum medicaminum vires & adplicationes perdidicit; multa tamen & ipse revelavit, magnumque usum fecit aceti scillitici, sinapis, anisi, unguentorum variorum & fomentationum.

Prima Empiria.

Sed methodus hæc pharmaca exhibendi, casu & analogia sola ducta, mere empirica fuit, neque unquam solebat explicare medicaminum actiones. Barbaris gentibus universim plurima pharmaca empirico tali modo detecta debemus; uti Rhabarbarum, Guajacum, Cassiam Fistulam, Tamarindos, Sassafras, Guassiam, Sennam, Contrajervam, Asam fœtidam, Galbanum, Catechu, Zibethum, Aloën, & ipsum peruvianum corticem &c. Nec non per

totam antiquitatem græcam empirica hæc methodus remediis utendi conspicua est.

Seculum IV. ante Christ. nat.
Hippocrates.

Ipse immortalis Hippocrates in pharmacis suis adhibitis minus ratiocinio, quam empiria ductus videtur. Paucula medicamenta in usum vocavit, neque alia, nisi quæ experimento cognovit. Nec exotica multa exhibuit, nullaque nova detexit, atque universim materiam medicam non ita excoluit, quemadmodum semioticam & diætetica medicinæ partem. Primus tamen exhibuit Ptisanas, decoctum hordei cum oxymele, in hodiernum usque diem maximi usus. Ex regno minerali alumen, nec non præparata ex cupro & plumbo jam adhibuit, & de Pharmacia aliquam notitiam habuit. Ex vegetabilibus semina Laureolæ & Athamantæ, radicem Thapsiæ, flores & semina Carthami tinctorii &c. præter alia ab antecessoribus usitata morbis obposuit *).

Eo magis vero post Hippocratem studium materiæ medicæ excultum fuit. Aristoteles corporum naturalium notitiam multum adauxit; atque promoto per Alexandri magni expugnationes commercio cum gentibus reliquis orien-

*) Tractatus de medicamentis purgantibus; de veratri usu; de antidoto; de medicamentis secundum temperamenta; de virtutibus herbarum, Hippocrati adscribuntur; sunt autem inter libros minus receptos.

talibus, multa prius incognita medicamenta ex Arabia, India, Persia, Africa adlata sunt. Testante Plutarcho ipse Alexander medicamenta invenit. Theophrastus Eresius 500 fere plantas, earumque tum physicas, tum medicatas vires jam descripsit; atque Callias cinnabarim detexit.

Schola dogmatica.

Ipsissimo hoc ævo philosophica simul scientia caput suum extulit; cujus primus fundator Pericles facile agnoscendus. Proximi ergo Hippocratis successores, scholæ dogmaticæ fere principes, theorias ejus ævi philosophicas cum doctrina hippocratica conjungere, nec non de viribus medicaminum si non primas, saltem meliores ideas formare studuerunt. Diagoras, Democriti discipulus, jam non inepte de viribus usuque opii ratiocinatur.

Philosophi scilicet græci, non contenti causas rerum & motuum cælestium indagandi, ad terrestres quoque res., ad plantarum, animalium & terrarum vires animum direxerunt, atque philosophicas suas speculationes de causa rerum universa ad doctrinam de viribus medicamentorum adplicarunt. Et quidem prima theoria, quæ per totam antiquitatem ad nostra fere tempora dominata est, ea fuit, quam Plato a doctrina de quatuor elementis ab Alcmeone Crotoniate & Empedocle Agrigentino inventa desumsit. Philosophi hi, sicuti corporis humani partes sin-

gulas conflatas esse ex elementis quatuor constitutivis, ita & morbos oriri docuerunt ex prædominante qualitate una præ altera. Quare Praxagoras Cous & Plistonicus cum aliis doctrinæ humoralis auctoribus id egerunt, ut doctrinam eamdem ad medicaminum actionem adplicarent, atque medicamina tali ratione prædominantibus morbose elementis adcommodarent, nec non ergo ex qualitatibus medicaminum sensus ferientibus, eorum vires explicarent. Mox vero a Diocle Carystio *) ita hæc theoria exculta fuit, ut medicaminum actiones empiricis quoque experimentis subjicerentur. Quæ quidem doctrina in hodiernum usque tempus suos amatores habuit. Praxagoras, cujus medicina in herbis mere fuit, jam diuretica, strobilos, chamæpitin, radicem graminis in hydrope dedit.

Schola Alexandrina.

Post mortem Alexandri magni, successores regni philosophicam & medicam scientiam multum adhuc fovebant. Magnum institutum pro scientiis excolendis Alexandriæ fundatum est. Celebris ibi fuit Herophilus, major quidem anatomicus, quam medicus, attamen in theoriis coævorum summe versatus. In praxi interim Empiricus a Galeno habetur, dum mera composita & specifica pharmaca in usum traxerit. Erasistra-

*) Ejus de medicamentis venenatis tractatus habetur. Athenæus.

tus *) econtra eodem ævo medicorum consuetudinem damnavit, qua plurima medicamina, & quidem ex omnibus naturæ regnis corraderent. Ipse simplicissimus in medendo fuit, semet ipsum succo rubi idæi sanavit, atque olea simplicia varium in usum adhibuit; opiique usum, quem junior damnaverat, posteriori tempore probavit; externis medicamentis multum usus est. Mantias vero & Zeno specificorum iterum remediorum amatores fuerunt, atque de virtutibus medicamentorum, parandisque pharmacis tractatus concinnarunt. Andreas quoque Onomasticon medicamentorum scripsit.

Seculum III. ante Christ. nat.
Schola empirica.

Mox post Herophili obitum, qui ipse quodammodo occasionem præbuit, exorta est vera empirica secta, quæ ex tripode observationis suæ & experientiæ sprevit omnia ratiocinia & theoreticas speculationes, eo quidem tempore a Dogmaticis præter modum elatas. Apogogice demonstrarunt, philosophos esse infelices medicos, neque ullius rei, nisi memoriæ & sensuum in medicina usum esse faciendum. Hujus sectæ fundatores Philinus Cous & Serapion Alexandrinus **) agnoscuntur, qui posterior in

*) Ejus de medicamentis & venenis liber exstat. Dioscorides.

**) Scripsit de parabilibus medicamentis.

viribus medicaminum mera experientia indagandis magnam industriam posuit, externasque corporum qualitates in viribus discernendis insufficientes putavit, absolutosque eorum effectus ab accidentalibus & relativis sedulo distinxit. Medicamina quidem multa summe efficacia ægris exhibuit, atque ipsum castoreum in usum introduxit; attamen & plurima absurda, cerebra animalium, stercora, leporum corda, sanguinem testudinum, apri testiculos &c. modo summe empirico adplicavit. Heraclides vero Tarentinus, licet empirice omnia corraderet, quæ ad usum medicaminum pertinerent, absurda quoque multa proponeret, varia tamen remedia secundum qualitates primarias disposuit, morborum diversas causas quodammodo agnovit, & cuique suum remedium commendavit, quo omnino recessit a ceteris Empiricis. Universim meliores hi Empirici, cum non penitus se contemnere rationem & judicium contenderent, dummodo summum in iis non ponatur momentum, non neglexerunt doctrinam de qualitatibus primariis ad theoriam materiæ medicæ explicandam.

Heraclides Tarentinus primus descripsit cosmetica. Opus completum de medicamentis, eorum præparationibus & compositionibus, atque de antidotis concinnavit. Præter opium, cicutam, hyosciamum, asam fœtidam quoque & myrrham, opobalsamum, cinamomum, costum & alia in usum medicum jam convertit. Agatarchides & Jolaus Bithynus de herbarum facultatibus scripserunt, &

posterior croco jam externe ad oculorum defluxiones utebatur.

Seculum II. ante Christ. nat.

Seriores materiæ medicæ scriptores in undique colligendis & exponendis remediis operam omnem & industriam collocaverunt. Quamvis quoque interdum theoriam Platonicam sedelibasse ostenderent, nihil tamen diligentius curæ cordique habuerunt, nisi farraginem medicamentorum cujusvis generis colligere & augere. Huc pertinent Philonides Dyrrhachinus, Metrodorus *), Cratevas Rhizotomus, qui opus de viribus medicatis plantarum scripsit; Cleophantus, qui descriptiones multarum plantarum medicinalium dedit, atque Nicander Colophonius **), qui carminibus venena & antidota descripsit, ubi colchicum, cantharides, cerussa, lythargirium &c. jam memorantur. Reges ipsi, doctrinam præcipue de venenis & antidotis multum amplificarunt propriis experimentis; inter quos Attalus Philometor & Mithridates Eupator, duplici suo nomine in hodiernum diem notus. Zopyrus quoque ex Aula Ptolomæorum non solum universale antidoton præparavit, quod

*) De medicamentorum facultatibus scripsit, & adstringentia omnia refrigerare docuit.

**) Nicandri Alexipharmaca, edidit J. G. Schneider 8. Halæ 1792.

Ejusd. Theriaca, interprete J. Gorræo. 4. Paris. 1557.

Ambrosiam dixit; verum & de medicaminibus therapeutice classificandis jam cogitavit, dum errhina, diuretica, diaphoretica, adstringentia, maturantia, expectorantia &c. in ordines locaverit.

Seculum I. ante Christ. nat.
Schola methodica.

Mox vero corpuscularis Philosophia, quam Epicurus & Dicæarchus coluerant, ab Asclepiade Bithyno*) in theoriam medicam introducta, atque a Themisone Læodiceno & Thessalo Tralliano in exstruendum systema methodicæ Scholæ conversa fuit. Communitates Methodicorum, sive similia, quæ in morbis & remediis occurrunt, ex stricto & laxo explicarunt, & contraria itaque contrariis obposuerunt; nam Themisonis jam doctrina fuit, omnia medicamina aut roborare, aut relaxare. Dum hæc vero non sufficerent, ad metasyncrisin sive recorporationem refugium ceperunt. Specifica, id est, ea remedia, quorum actio nullo ratiocinio patet, non adsumserunt, sed retulerunt semper vel ad communitates, vel ad metasyncrisin.

Seculum I. post Christ. nat.

Huic sectæ quoque adhæsit Aulus Cornelius Celsus, polyhistor ille, qui adcommu-

*) Medicamenta multa descripta reliquit; etiam composita.

nitates Methodicorum, more seculi sui respexit, dum theoriam medicaminum statueret. Primus nutrientia clismata exhibuit. Antonius Musa, coætaneus, in re medicamentaria insigniter peritus, carnem viperarum, lactucam, cichorium & endiviam in materiem medicam introduxit.

Methodici ipsi vero non diu post viderunt, communitatibus suis non posse omnibus satisfieri; refugerunt itaque iterum ad Empiriam non rationalem, sed quæ antidotis, specificis, farragine denique absurda remediorum satageret morbos sanare. Testes sunt: Philo Tarsensis, Aemilius Macer, Demosthenes Massiliota, & alii, quorum nonnulli multum auxerunt penum medicaminum suis simplicibus, verumtamen in distribuenda illa penu, & in theoria materiæ medicæ, parum aut nihil præstiterunt. Nominari hic præcipue merentur non solum Lycus Neapolitanus, qui fermentum panis contra tumores, & auripigmentum contra dysenteriam; Menius Rufus, qui anagallidem contra rabiem caninam adhibuit; Menecrates, qui emplastrum diachylon invenit; Servilius Damocrates, qui dentifricia & varia malagmata versibus descripsit; Asclepiades Pharmacio, qui in libro Markellas multiplicissima remedia, & primus stercora animalium commendavit; Apollonius Archistrator, qui compositiones miras contra ozœnam, odontalgiam &c. laudavit; Pamphilus Migmatopoles, qui arsenicum & cantharides jam externe in morbis cutaneis exhibuit; Scri-

bonius largus*), qui aloën in pilulis, & balnea chalybeata ordinavit; Andromachus, qui theriacam composuit; Xenocrates, qui in sanguine vespertilionum medicinam quæsivit &c.; sed præ aliis Plinius Secundus & Pedacius Dioscorides Anazarbeus, qui posterior de medicinali materia opus egregium conscripsit, per plura secula classicum, in quo simul chemicæ quædam operationes, & prima criteria adulterationis medicaminum adnotantur. Jam adplicuit oleum ricini, & aquam calcis externe, alcali vegetabile contra gangrænam & scopo caustico; filicem marem contra vermes; corticem ulmi in impetiginibus; marrubium in phthisi, cornu cervi ustum, & plura alia ad hodiernum diem usitata. Interim tamen & absurda nonnulla adfert, uti cimices in febribus intermittentibus, scopo nauseante. Quam optime elaborata sunt capita de myrrha, bdellio, ladano, asa fœtida, gummi ammoniaco, opio, rhapontico, majorana, uva ursi, scilla **).

Sectæ, in quas deinde diductæ sunt medicæ

*) Scribonii largi compositiones medicæ, ex recens. & not. J. Rhodi. 4. Patav. 1655.

**) Dioscoridis de medicinali materia libri VI. Lugd. 1552. Fol.

Ejusd. de medica materia libri V. Colon. 1529. Fol.

P. Andr. Matthioli Commentaria in Dioscoridis libros de materia medica. Basil. 1598. Fol.

Cordi Val. annotationes in Dioscoridis libros. 1561. Fol.

Lusitani Amati in Dioscoridis mater. med. lib. V. enarrationes. Argent. 1554. 4to.

Scholæ, licet Pathologiæ doctrinam alio plane modo excolerent, in theoria tamen materiæ medicæ parum recesserunt ab antecessoribus.

Schola pneumatica.

Pneumatici quidem, ex stoica Schola progressi, introductis suis spiritibus videbantur aliquid ad theoriam de viribus innatis, & corporis humani, & remediorum contulisse; verum symbola hæc fere erant, sub quibus, quid ipsi cogitaverint, haud ita facile explicari potest. Si spiritum calidum excitasse morbum crederent, exhibuerunt remedia frigidum spiritum continentia, & vice versa. Communitates Methodicorum adtingere ergo quodammodo videtur hæc idea. Fundator hujus sectæ Athenæus auripigmentum adhuc in clysmate contra dysenteriam ordinavit.

Schola eclectica.

Alii vero hujus ævi medici ideas Pneumaticorum cum illis Empiricorum & Methodicorum combinarunt, atque sic Scholæ eclecticæ, sive episyntheticæ originem dederunt; quos inter Agathinus Spartanus & Archigenes, qui posterior non parum contulit ad meteriam medicam locupletandam *). A fortioribus interim purgantibus abstinuit, myrobalanorum usum fecit, & vomitum adhuc raphano excitavit. Aretæus Cap-

*) Scripsit de pharmacis secundum genus.

padox primus vesicantia memorat, atque vires medicaminum egregie explicat. Mentionem quoque meretur Herodotus, qui balnea oleosa & aquas minerales scopo diætetico commendavit.

Seculum II. post. Christ. nat.
Galenus.

Claudius Galenus, auctor Scholæ, quæ per tot secula perstitit, & universim dominata est, materiam medicam in aliquam scientificam formam quidem redegit *); attamen non ea ratione excoluit, qua reliquas medicinæ partes. Cum juvenis eclecticæ Scholæ adhæserit, mox eo modo recessit ab eadem, ut academicæ Philosophiæ subtilitates cum peripatheticis conjungeret, atque doctrinam de temperie elementorum cum ad Pathologiam, tum ad materiam medicam adhiberet. In colligendis medicaminibus Dioscoridem secutus est, cum Botanices & Chemiæ peritus non valde esset. Ex hypotheticis qualitatibus primariis, calido, humido, frigido & sicco, quas iterum in quatuor gra-

*) Scripsit de purgantium medicamentorum facultatibus.
De Ptisana.
De simplicium medicamentorum facultatibus.
De substitutis medicinis.
De compositione medicamentorum secundum genus.
De compositione medicamentorum secundum partes.
De Theriaca.
De Antidotis.
De ponderibus & mensuris.
De remediis paratu facilibus.

dus dispescuit, saporem & odorem medicaminum pendere docuit, atque chemicam ad dignoscendas vires plantarum analysin penitus rejecit. Talique modo constituit systema, quale ad seculum præteritum usque perstitit.

Schola neoplatonica.

Pessima vero illa, atque absurda opinio de actione stellarum & signorum Zodiaci in plantas & medicamina, tempore Galeni primum efficta, per plura secula serpsit, undique aliquid adsumendo, quod absurditatem ejus augeret. Originem ducit magica hæc theoria materiæ medicæ ex Neoplatonicorum Scholis, quæ tertio demum seculo vetera illa Persarum & Judæorum dogmata, a græcis Philosophis quidem accepta, sed mirum quantum deturpata, iterum cum platonica Philosophia & ejus ævi Astrologia conjungere, horrendum que monstrum theoriarum & systematum exstruere satagerunt; quale imposterum a Paracelso, Thurneisero & Carrichtero magis adhuc deformatum, & nuper elapsis seculis multorum hominum assensum recuperavit.

Secula III. IV. post Christ. nat. Empiria pessima.

Tempore adhuc Galeni, Romæ vivebat Marcellus Pamphiliensis, qui jam medicamentum universale ex piscibus contra omnes morbos commendabat. Etiam Serenus Samonicus

uterque, carmina & amuleta cum nomine Abracadabra, & sextus Placitus Papyriensis *) collare ex corde leporino contra intermittentes febres adplicabat. Atque sic observare licet subitaneum transitum ævi artis philosophici in superstitiosum, & in pessimam, summeque ridiculam Empiriam, quæ pluribus Seculis dominabatur; & quæ a Pseudophilosophis neoplatonicis miro modo adhuc protecta fuit, dum cuique zodiacali signo suam herbam, suumque morbum adsignaverint, cui fugando herba illa par sit. Nonnulli illorum ex figuris quoque variis vim insignem medicatricem exspectaverunt, & ad certos numeros, dies, verba barbara confugerunt, dum morbum fugare conarentur. Hinc etiam vetus ille mos, preces, conjungere cum adplicatione remediorum; cum non posse, nisi immediato auxilio Dei & angelorum sanationem contingere, neque medicum justum esse, nisi pius vir sit, sibi imaginarentur.

Secula V. VI. VII. post. Christ. nat.

Meliores quidem ejus ævi scriptores, optima ex optimis auctoribus collecta medicamina commendabant; inter quos Sardianus Oribasius **), Theodorus Priscianus, Aëtius, Alexander Trallianus (qui primus rheum & hæmathitidem in dysenteria adplicabat) & Pau-

*) Placiti Papyriensis de medicamentis ex animalibus liber.

**) De facultate simplicium medicaminum.

lus Aegineta *). Alii vero adeo absurda & ridicule superstitiosa de medicaminibus proferebant, ut nomina eorum memorari non mereantur. Seculis adhuc octavo & nono Lucium Apulejum **) & Plinium Valerianum (nisi nomina hæc a Monachis ficta) & ipso decimo tertio Myrepsicum ***), aliosque huic perniciosæ sectæ additos miramur.

Secula VIII. IX. X. XI. post Christ. nat. Arabes.

Hæreditario quasi modo doctrinam Græcorum Arabes obtinuerunt. Theoriam quoque materiæ medicæ amplificarunt eo modo, ut Galeni divisionem in qualitates primarias suam facerent, simul quoque gradus facultatum adhuc amplius augerent. Quin ad regulas fere arithmeticas reduxerunt theoriam materiæ medicæ. Sed præter calculorum adplicationem ad hancce theoriam, varia medicamina variis, iisque certis corporis humani visceribus & partibus favere crediderunt, atque actionem medicaminum specialem in hoc vel illud viscus jam tunc cognoverunt. Hinc innumera illa remediorum copia, quæ posteri Arabum sectatores arbitrarentur

*) Paul. Aegineta de simplicibus medicamentis. Interprete Ot. Brunfelsio, 8. Argent. 1531.

**) Luc. Apuleji de medicaminibus herbarum liber. Ex recens. & cum notis J. Chr. Akermann. 8. Nor. 1788.

***) De antidotis?

in proprium aliquod viscus agere; hinc cardiaca, aphrodisiaca, hepatica, splenica, pulmonalia &c. Hinc quoque ea remedia, quæ peculiarem aliquem humorem e corpore educant, quo pertinent melancholica, lymphatica &c. Hinc denique illa opinio de vi quorumdam remediorum novas partes producendi, quæ Sarcotica dicebantur.

Scriptores Arabum celebriores, qui in operibus suis & medicam materiam pertractarunt, sunt: Jahiah Ebn Masawach (Mesue), præcipue junior (ben Hamech), qui libros pharmacologicos conscripsit *); Hhonain Ebn Ishak, qui subtilissimam solventium theoriam exposuit; Jahiah Ebn Serapion **), (Janus Damascenus testante Henslero) & Serapion junior, quorum primus pharmaceuticam artem quodammodo excoluit; Jakob Ebn Ishak Alkhendi (Alkind), qui peculiarem ideam mathematicam de gradibus medicaminum proposuit ***); Aben Guefith ****), qui tractatum de viribus simplicium medicaminum concinnavit, & methodum non ineptam descripsit, medicaminum vires explorandi; Muhhamed Ebn Secharjah Abu Bekr Arrasi (Rhazes), qui in magnis suis operibus

*) De medicamentis solutivis. De aqua hordeacea. De dentifricio. De medicamentorum catharticorum correctione &c.

**) J. Serapionis de simplicibus medicinis opus, per Ot. Brunfelsium. Fol. Argent. 1531.

***) De medicamentorum compositorum gradibus.

****) De simplicium medicaminum virtutibus.

antidotarium edidit, sive syllabum simplicium & compositorum medicaminum, ub de usu mercurii externo jam mentio fit *); Ali ben Abbas, qui Hhonainum ut plurimum secutus, & arabum medicorum denique princeps, Al Hussain Abu — Ali ben Abdallah, Ebn Sina (Avicenna), qui tamen naturalis historiæ multum ignarus, magnas terminorum confusiones introduxit in medicam suam materiam **). Aurum, argentum, alia metalla & gemmas pro usu interno commendavit; atque ab illo superfluus usus obductionis pillularum auro & argento in hodiernos medicos promanavit. Interim ab Arabibus materia medica tamen aliquid lucrata est. Drastica fortiora e foro medico expulsa, & leniora purgantia, tamarindi, manna, senna, introducta fuerunt. Camphoræ & moschi jam notitia fuit. Primi Sacharum loco melis adhibuerunt, atque e regno minerali medicamina petierunt; mercurium pro usu externo adplicarunt; olea empyreumatica, aquas destillatas, spiritus, ipsum mercurium corrosivum fabricarunt; Looch, roob, syrupos, julepos pararunt, quorum nomina & hodie in usu; Dispensatoria quo-

*) Ejusd. liber de medicamentis, quæ facile ubique inveniri possunt. De cucumere asinino. De sanguine draconis. De medicamentis naturalibus. De seminibus, aromatibus potioribus, trochiscis.

**) In libri II. tract. II. enumerat 756 simplicia medicamina, ordine alphabetico.

In libri IV. Fen. 6. Tract. I. & II. de venenis agitur.

Liber V. continet antidotarium & composita pharmaca.

que jamjam formarunt, & Pharmaciam a practica medicina separarunt.

Ad ipsos Græcos ab Arabibus denuo medica scientia transscendebat. Saltem opus pharmacologico — diæteticum, undecimo seculo a græco medico Symeone Seth *) concinna tum, evidenter demonstrat, Arabum de materiamedica cognitiones in Græciam transmigrasse. In quo libro prima simul de Ambra mentio, nec non camphoræ, moschi & cinamomi bona descriptio.

Arabistæ.

Eodem ævo a Constantino Africano ex Oriente in Occidentem, & quidem præcipue in Scholam Salernitanam doctrina medica translata fuit; quin tamen Pharmacologia magnum ibi incrementum ceperit. Nam Nicolaus Præpositus, qui Antidotaria scripsit & Aromataria (a quo requies Nicolai vetusti Dispensatorii), aliique coævi, absurda potius & fanatica varia in materiam medicam introduxerunt.

Seculum XII. post Christ. nat.

Interim tamen jam pharmacopolia in Italia exstruere inceperunt, atque de Dispensatoriis introducendis cogitarunt.

*) De cibariorum facultatibus 8. Par. 1658. Gr. & lat.

Secula XIII. XIV. XV. post Christ. natum.

Ceterum vero ab Arabistis & Latinobarbaris nihil omnino factum est, quod ad amplificandam & augendam scientiam nostram contulisset; cum undique solummodo corraderent antidota, specifica; mira & incredibilia de eorum efficacia narrarent. Huc pertinent: Rogerius Parmensis, qui Spongiam in Scrophulis adhibuit; Brunus Calaber, Guilelmus de Saliceto & Lanfrancus Mediolanensis, qui præsertim in Pharmacologia chirurgica laborarunt; Joann. a Sancto Amando *), qui subtiles de viribus medicaminum ideas protulit; Joann. Actuarius, celebrior practicus, quam pharmacologus; Simon de Cordo, Raimundus Lullius, Guilielmus Varignana, Mathæus Sylvaticus, Petr. de Abano, Dondis **) uterque, & Nicol. Leonicenus ***). Ex Gentili de Foligno ****) & Arn. Bachuone Villanovano præsertim patet hujus ævi perni-

*) Ejusd. Expositio supra Antidotar. Nicolai. Ven. 1562. Fol.

Ejusd. De basibus medicamentorum. De virtutibus & operationibus medicinarum simplicium & compositarum.

**) Jac. Dondis promtuarium medicinæ. Ven. 1543. Fol.

***) De Plinii, aliorumque erroribus. 4. Ferrar. 1492.

****) De dosibus & proport. medicament. Ven. 1562. Fol.

cies; cum præter Dogmaticorum veterum explicationes & Arabum calculos, Empiricorum deinde antidota & specifica, Magorum quoque vires absconditæ ibidem occurrant.

Præter hos etiam Joan. Ganivetius docet, quanta fuerit fides habita Seculo XV. Astrologiæ, & præsertim doctrinæ de signorum cœlestium influxu in vires medicaminum. Docet quoque Bartholom. de Montagna-na *), quanta tributa sit vis numeris certis quibusdam. Namque pillulas non aliter, ac impari semper numero exhibuit. Inter meliores tamen hujus seculi scriptores mentionem merentur Joann. Platearius **), Saladinus Asculiensis ***), & Santes de Ardoynis ****).

Cum vero denique lues venerea novam, eamque cum theoriis Dogmaticorum haudquaquam congruentem requireret methodum, tandem perspexerunt atque cognoverunt medici, veterem suam doctrinam hic non sufficere; ideoque vel confugere oportere ad empiricam methodum, vel qualitates occultas adsumi debere. Primum igitur hoc fuit rudimentum repullulantis judicii, & examinis liberioris virium, quas medicamenta exserunt; atque ita sensim & barbaries Arabum evanuit. Literæ quoque in Europa renascentes fecerunt, ut etiam ad eos lux antiquitatis penetraret, qui græcam

*) Antidotarium. Ven. 1565. Fol.
**) Expositio in Antidotar. Nicolai. Ven. 1562. Fol.
***) Compend. Aromatorior. Ven. 1562. Fol.
****) De venenis tract. II. Ven. 1492. Fol.

linguam ignorarent; cum meliores versiones veterum auctorum prodiverint. Ars simul typographica inventa, non parum ad hancce literarum culturam contulit. Novo orbe quoque detecto, novæ divitiæ medicaminum allatæ sunt *), quæ a Græcis & Arabibus ignorata fuerunt.

Interea tamen vitium Seculi fuit, quod multi fat cauti Botanici, plantas Dioscoridis & Plinii se reperiisse in frigida nostra Europæ parte crederent. Sic Otto Brunfelsius in eo totus est, ut plantas nostras cum græcis conciliet. Ita Corn. Petri infeliciter sæpius nostra cum veteribus remediis confert. Eadem ratione coaptare, et potuerunt, græca cum nostratibus vegetabilibus studuerunt Hier. Tragus, Herm. a Nevenaar, Ruellius cum aliis. Perversa hæc methodus, quam acriter impugnavit suo tempore Leon. Fuchsius, confusionem eam genuit in materia medica, ut, quid proprie sit, quod præscribat, sæpius nesciret medicus, innumerique inde orirentur errores.

Seculum XVI. post Christ. natum. Alchemistæ. Schola Spagirica.

Eodem fere tempore, cum necesse esset, ut novam induat formam ars medica, Philippus Au-

*) Nic. Monardes, de simplic. medicam. ex occidentali India delatis. Antv. 1574. 8.
Simplicium medicamentorum ex novo orbe liber Nic. Monardes, a Clossio Latio donatus, & not. illustrat. Ex offic. Plant. 1593. 8.

reolus Theophrastus Paracelsus Bombast ab Hohenheim (Philippus Hœchener adserente Hallero), celeber Alchemista, sed vir acuti ingenii, auctor exstitit novæ sectæ, quæ quidem antea in embryone quasi latuerat, jam vero nova specie caput extulit. Hæc quidem chemicam analysin ad dignoscendas vires plantarum, sed perverso plane modo primum adhibuit. Posse enim ope ignis & caloris certas corporum partes separari, quæ in minima quantitate exhibitæ summum ederent effectum, velut oleum, spiritus, sal &c., arbitrati sunt; sicque omnes plantarum vires constitutivas seorsim tradiderunt, & hac ratione concluserunt, quomodo ex his compositæ effectum producant. (Circa finem Seculi XVII. ulteriori examine dignam censuit hanc theoriam Regia societas Parisina). Dir sane & multum laboraverunt in hac re varii eruditi viri, donec fateri necessum duxerint, quod, etsi in multis plantis scopus adtingi videatur, aliæ tamen nimium quantum inde recedant.

Ignoscendum fuisset huic sectæ, si hanc tantum analysin, tanquam criterion virium medicaminum stabiliisset; verum, cum alia & plane absurda dogmata introduxerit in theoriam medicaminum, dolendum profecto Seculi fatum, quo ejusmodi commenta dominarentur. Astrologiam non solum eam introduxerunt iterum, de qua jam supra sermo fuit, quæque plantæ certæ sidus aliquod, tanquam numen tutelare, affigeret; sed simul quoque a signatura plantarum externa vires hariolari annisi sunt. Ita res luteas in ictero cum fructu adhiberi, e. g. crocum, curcumam, rheum, chelidonium &c.; rubra

vero dysenteriæ mederi, ut catechu, sanguinem draconis &c. In colore quippe magnum latere magnale naturæ. Figuram quoque plantarum consuluerunt. In floribus orchidum finxerunt penes, testiculos, vulvas, uterum, proptereaque veneri excitandæ has inservire opinabantur. Sic anacardium orientale propter figuram cordi robur addere; brassicam capitatam capitis mala lenire; aurum ob fulgorem solis, præstantissimum esse remedium; euphrasiam ob nigrum punctum pupillam indicans, utilem esse ad ophthalmiam; asarum auribus simile, earum morbis quoque maxime conducere.

Philosophia ceterum Paracelsi prorsus aliena ab ea, quam ceteri mortales profitentur, ex eo quoque perspicitur, quod hyperici naturam cognitam adhiberet ad explicandam indolem morbi verminosi; ex visci quoque quercini, quem nonnisi adscendente luna efficacem credidit, voluerit naturam epilepsiæ planam facere. Quod si quis, hæc se comprehendere non posse fateretur; regessit ingenue Paracelsus, posse hæc absque tinctura sapientiæ, absque revelatione divina non intelligi, cum magnalia sint Dei, quæ revelabit Elias Artista, dum veniet.

Et quamvis hæc quidem sensui communi adeo contraria essent, ut a nemine non irrideri mereantur (uti Thom. Erastus*), summus Paracelsi antagonista suo jam tempore agnovit); innumeros tamen sibi adquisivit sectatores, inter quos: Barth.

*) Thom. Erastus de occultis pharmacum potestatibus. 4. Basil. 1574.

Carrichterus, Leot. Thurneiserus, Adam. Bodensteinius, Joh. du Chesne *) (Quercetanus dictus), Osw. Crollius **), præcipue nominandi. Metalla universim, ob efficaciorem influxum astralem, plantis longe prætulerunt; ut & Joh. Quercetanus universam purgantium classem cum mercurio dulci & antimonio crudo mutaverit; atque Thom. Bovius vitriolum cœruleum scopo emetico exhibuerit.

Ceterum Paracelsus, quemadmodum doctrina sua mirabili, & vano conatu inveniendæ Panaceæ universalis summe ridiculus evasit, aliquid tamen boni pro materia medica præstitit; chemica præparata multa detexit; pharmaca summe efficacia, præcipue mineralia in usum trahere docuit; atque occasionem saltem præbuit, severioris cognitorum medicaminum indagationis, ita ut Chemiæ pharmaceuticæ quasi fundator agnoscendus sit.

Conciliatores.

Nec defuerunt auctores, qui derelicta idea ridicula Panaceæ inveniendæ, aurique potabilis dete-

*) Antidotaire Spagyrique. 8. Lyon 1576.

Ejusd. Pharmacopæa Dogmaticorum restituta. Lips. 1607. 8.

Ejusd. De priscor. Philosophorum veræ medicinæ materia, præp. modo &c. Lips. 1613. 8.

**) De signaturis rerum.

Inter alia, plantas masculinas maribus, femineas mulieribus conducere contendit. Stellas qua plantas, & plantas qua stellas concidorac.

gendi, reliquam meliorem Paracelsi theoriam, cum doctrina Galeni combinare conati sunt. Hisce adnumerandi veniunt Andr. Libavius, Angelus Sala, Bened. Aretius *), Dan. Sennertus, Raim. Mindererus, Laz. Riverius, Petr. Castellus **), Petr. Poterius ***), Hier. Cardanus ****), Ant. Musa Brassavolus *****), cum aliis.

Spiritualistæ & Theosophi.

Nonnulli vero fanaticis ideis repleti, multumque neoplatonicæ Sectæ adhærentes, Dæmonibus &

*) Ben. Aretii de medicamentor. simpl. gradibus & compositionibus opus novum. 8. Tigur. 1572.

**) Petr. Castelli Antidotario romano commendato. Fol. Messin. 1637.

***) Petr. Poterii Pharmacopœa spagirica, sive de secretioribus medicamentor. præparationibus & usu, libr. II. 8. Bonon. 1622.

****) Hier. Cardani liber de medicamentis simplicibus. It. De Sarsaparilla. It. De cyna radice. It. De venenis.

*****) Ant. Musæ Brassavoli examen omnium electuariorum, pulver. & confection. 8. Ven. 1548.

Ejusd. Examen omn. Catapotior. & pillular. 4. Basil. 1545.

Ejusd. Examen omn. trochiscor. unguent. cerat. emplastr. cataplasm. & colyrior 8. Ven. 1551.

Ejusd. Examen omn. linctuum, aquar. oleor. 8. Ven. 1553.

Ejusd. Examen omn. simplic. medicamentor. 8. Ven. 1545.

Idem De medicamentis tam simpl. quam comp. catharticis. 8. Tigur. 1555.

Spiritibus aliis magnas potestates in morbis producendis & sanandis tribuerunt, atque ex hisce chimæris vires medicaminum, quam plurimum explicarunt. Excellunt inter eos Thom. Campanella & Rober. Fludd (Barometri inventor), qui medicaminum actiones unice ex principio activo caloris & frigoris, intercedente aliqua Spirituali substantia eruerunt.

Ex his quoque Scholis originem duxit sympathica illa curatio, quæ per effluvia in distans agere præsumeretur. Alii respexerunt in hac absurditate explicanda ad Deum ipsum, alii ad sympathiam aut magnetismum universalem consilia transtulerunt, alii demum diabolum hic intercedere opinabantur

Observatores.

Interea tamen varii viri eodem Seculo æque liberi a servitute Galeni, ac a fanaticis paradoxis Paracelsi, sedulo ipsi investigarunt & examinarunt naturam; ordinem naturalem in plantis & mineralibus hariolati sunt, & materiam medicam propria peritia auxerunt. Conr. Gesnerus medicam Botanices partem studiosissime excoluit; sapores, odores & vires medicaminum ipse tentavit, imo & vitam periclitatus est in radice Doronici. Huc etiam pertinent: Jo. Bapt. Montanus *),

*) J. B. Montani Explicatio eorum, quæ pertinent tam ad qualitates simplicium medicamentorum, quam ad eorumdem compositionem. 8. Ven. 1555.

Petr. Andr. Mathiolus *), Laur. Joubertus, Hier. Capivaccius, & Jul. Argenterius, qui a plerisque sui ævi præjudiciis alieni, multum contulerunt ad liberam investigationem naturæ, & lites componendas, quæ inter Galeni & Paracelsi asseclas longe lateque tunc grassabantur. Antecessit hisce Aloys. Mundella, qui in epistolis suis ad historiam materiæ medicæ spectantibus, usum internum gemmarum, ab anno 1535 valde divulgatum, primus damnavit.

Studium græcæ antiquitatis in eam mox viam divergit, ut regulas generales curativas Græcorum sequerentur medici, materiem medicam eorum suam facerent, & denique longe alia nostro climati conducere medicamina contenderent, ac quæ olim in Græcia, Oriente & Italia usu venissent.

Observatores deinde egregii adparuerunt, qui a partium studio alieni, naturam morborum, curationum & remediorum candide examinarent, eodemque modo materiam medicam eo dirigerent, ut experientiæ — non commentis; factis — non ratiociniis superstrui potuerit. Inter observatores hujus ævi primos ordines ducunt: Joh. Schenk von Graffenberg, Nic. Piso, Petr. Forestus, Fel. Platerus, Alex. Massaria, Lud. Septalius, cum aliis.

*) P. A. Mathioli Materia medica. Ven. 1565. Fol. Ejusd. Comment. in Dioscoridis libros de materia medica.

Chemiatri.

Chemia quoque, quæ antea vel auri sacra fame, vel ad stabiliendam Fanaticorum doctrinam usurpabatur jam in usum historiæ medicamentorum est conversa. Rud. Glauberus, Adr. Minsichtius*), Jo. Chr. Schrœderus, Joan. Hartmanus, aliique in eo laborarunt, ut & meliori examini subjicerent remedia, & formulas absurdas exules facerent, & ordinem systematicum in materiam medicam introducerent. Veterum quoque theoria magis magisque obsoleta visa est, simul ac cum Guern. Rolfinkio Chemia in cathedras publicas translata est.

Secul. XVII. post Christ. nat.
Helmontius.

Intervenit autem mox alia schola fanatica Jo. Bapt. Helmontii, quæ boni hoc quidem habuit, ut liberum magis, & ab antiquitatis præjudiciis alienum redderet examen medicaminum; in se vero spectata absurda tot continuit, quot Paracelsi secta. Fermenta Helmontii, sive principia motus & productionis, quæ in mineralibus Bur, in vegetabilibus vero Leffas dixit, totam actionis medicaminum causam continuerunt, agere insuper medicamenta, prout Archeo amica sint, & potissimum ratione odoris docuit. Cumque acidum sit

*) Hadr. a Minsicht Armamentarium medico—chymicum. 8. Francof. 1675.

præcipue corpori inimicum, calida, absorbentia, sudorifera in praxin quotidianam introduxit.

Et alii.

Secutus est illum Franc. Sylvius de le Boe cujus theoria male excogitata versata est tota in accido debellando; quem in finem direxit omnia sua remedia, ut & acorem succi pancreatici corrigerent, & sudorem promoverent. Hinc ortum duxit perniciosa illa methodus diaphoretica, quæ per totum seculum præterlapsum, & per magnam nostri partem dominata est. Ex eadem theoria ridiculæ de variis humorum acrimoniis ideæ originem traxerunt.

Fuerunt præterea, qui Sylvii doctrinam Cartesii Philosophia conciliarent, ex hac vero fulcimen illius quærerent. Id egerunt Benj. van Brœkhuysen, Corn. van Bortekœ (Dekkerus alias dictus), Steph. Blancardus, aliique Batavi, a quibus commendata bezoardica, calida, absorbentia, cum infuso Theæ sinensis deinde adeo in usum venerunt, ut secularem fere laborem optimorum auctorum requireret, donec pessimus hic amor absorbentium & calidorum exterminarentur. Adplicuerunt quoque doctrinam chemicam Helmontii & Sylvii atque Cartesii Philosophiam ad explicandas vires medicaminum Rob. Boyleus *), Car. Musitanus, Bern. Ramazzini, Joh. Dolæus, G. Wolfg. Wedelius **)

*) R. Boylei Dissertat. de medicament. specific.

**) G. W. Wedelius de medicamentorum facultatibus cognoscendis. 4. Jen. 1678.

& Mich. Etmüllerus, quorum autem doctrina tum ab Herm. Grube*) & Jo. Nic. Pechlino**), tum solidius dein a Jo. Bohnio, Frid. Hofmannuo & Herm. Boerhaavio suo tempore impugnata fuit.

Chemia interim indies magis exculta, & solidioribus observationibus atque experimentis superstructa, materiæ medicæ incrementum non mediocre largita est. Jo. Becheri, Ot. Tachenii, Nic. Lemeryi, Wilh. Hombergii, J. Zwelfferi & Chr. Ludovici laboribus factum est, ut præparata medicaminum varia detegerentur, absurda vero & nimis superstitiosa medicamina ex Dispensatoriis & officinis relegarentur, simul quoque simplicior methodus experimentalis & systematica communis evaderet.

Summum accessit augmentum scientiæ nostræ invento hisce temporibus Cortice peruviano, qui etsi jam ab anno 1638 Europæis innotuerit, anno 1648 tamen a societate Jesu magis magisque divulgabatur. Mox quoque Ipecacuanha, a J. A. Helvetio præcipue commendata, non parvi momenti augmentum tribuit.

Inventio præcipue peruviani corticis novam reformationem in scholis medicorum, & medicaminum

Ejusd. Amœnitates mat. med. 4. Jen. 1684.

Reliqua copiosa pharmacologica hujus auctoris opera in decursu memorabuntur.

*) H. Grube De modo, simplic. medicamentorum facultates cognoscendi. 8. Hafn. 1669.

**) J. N. Pechlin De purgantium medicamentor. facultatibus. 8. Amst. 1672.

theoria largita est; quum intellexerint medici, non posse ipsos in viribus ejus explidandis, nisi confugere vel ad specificam ejus naturam, vel ad chemicam analysin principiorum activorum. Præter Jo. Jürgkenium & Ph. Hermannum, qui ex analysi chemica vires plantarum definirent, præsertim Jo. Floyerus memorandus venit; qui abrogatis aliis omnibus criteriis virium, remediorum, solo sapore & odore contentus fuit. Ipse ingenue fatetur, corticis peruviani inventionem primam præbuisse ipsi ansam, ut systema suum experientiis innumeris firmatum exstruxisset; invenisse quoque in veteribus auctoribus, præsertim in Hippocrate & Galeno vestigia manifesta suæ methodi. Paucos vero habuit sectatores, donec nostro ævo eo plures redirent, ut missis aliis criteriis ad saporem & odorem solum confugerent. Jo. Pitton de Tournefort, magnus ille Botanicorum dux, analysin chemicam multi quidem facit, neque tamen alienus est a saporis & odoris examine; utrumque argumentum conciliare studet; spernit investigationem principiorum remotiorum, vires vero plantarum universas pendere a principiorum propiorum ratione admittit.

Jatromathematici & Jatromechanici. Secul. XVIII. post Christ. nat.

Alii, præter chemicas & physicas medicaminum proprietates, in viribus medicaminum eruendis ad leges mathematicas & staticas multum respexerunt, quorum antesignanus J. Alf. Borellius. Post il-

lum J. Bapt. Mazinius *) omnium medicaminum actionem jam ex figura particularum eorum explicat; adstringentibus & narcoticis uncam, solventibus asperam & angulatam, emollientibus glabram &c. particularum figuram contribuit. Simul quoque ad actionem medicaminum in solidas partes magnum respectum habuerunt: Th. Morganus, Fr. Hoffmannus **), Arch. Pitcarnius & ejus discipulus Herm. Boerhaavius, qui posterior medicaminum vires ex legibus mechanicis ceterum eruere, ut plurimum conatus fuit ***). Imo & seriori tempore Jo. Frid. Schreiberus atque Rich. Meadius ****) vim immutantem penitus organorum structuram & conditionem medicaminibus adtribuerunt; nec non Fr. Boissier de Sauvages recentius adhuc, ex particularum tum figura, tum pondere & adtractione versus certa organa, Cartesiano quasi modo, medicaminum vim explanare voluit.

*) J. B. Mazini Mechanica medicamentor. Brix. 1734. 4to.

**) Fr. Hoffmann De remedior. evacuantium mechanica operandi ratione. 8. Hal. 1698.

— — — De remed. alterant. mechan. oper. ratione. 4. Hal. 1698.

— — — De modo operandi remedior. physico mechanico. Hal. 1718.

Reliqua hujus viri copiosa pharmacoligica scripta inferius occurrent.

***) H. Boerhaave De viribus medicament. Plur. edit.

****) R. Mead Mechanica venenorum expositio. 8. Lugd. 1737.

Reformatores.

Eandem fere cum Boerhaavio viam ingressi sunt hujus seculi de materia medica plerique scriptores, inter quos præcipui: Steph. Frid. Geoffroy, Jo. Fr. Chartheuser, Lud. Lösekius, Wilh. Lewisius, Henr. Jo. Nep. Crantzius, Car. Alstonius, Jo. Reinb. Spielmannus & alii, quorum plerique cum Boerhaavio analysin chemicam in viribus medicaminum eruendis nequaquam neglexerunt, licet ubique ex partibus constitutivis vim & virtutem remediorum dijudicare non voluissent.

Quum simul Car. Linnæi conatibus systema plantarum & mineralium naturali propius redderetur, huic methodo naturali conformem quoque reddere sategerunt Sectatores ejusdem viri materiam medicam. Secuti sunt eum Petr. Jo. Bergius & Jo. Andr. Murrayus, quorum opera maxime amplificata est hæc naturalis methodus.

Antihumoralistæ. Solidistæ. Dynamistæ.

Dum vero inceperint practici medici præcipuum respectum ad solidas & organicas partes corporis humani vivi habere, actionem medicaminum adcuratius investigantes, eorum operandi rationem magis ex solidorum per illa quam fluidorum mutatione explicarunt. Excellunt hic nuperi Angeli, inter quos Will. Cullenius & Con. Monro,

atque inter nostrates Just. Arnemannus & Frid. Car. Grenius.

Ipsissima hæcce doctrina simpliciorem posuit medendi rationem, proinde simpliciorem quoque medicaminum penum & pauciora reddit remedia. Nuperi totam farraginem eorum medicaminum exterminarunt, quæ vel melioribus substituerentur, vel plane superflua essent. Ad minorem itaque merito numerum est redacta copia nostrorum medicaminum. Post J. G. Brendelium *) J. Fr. Cartheuserum **) Chr. Jac. Mellinum, G. Bickerum & J. Clem. Tode plurimi recentiores, Dispensatoriumque neotericorum concinnatores; quam fervidissimi autem M. J. a Mederer antesignano Academia militaris Vindobonensis, J. Petr. Frankius, Jo. Andr. Stifftius, Zach. Husstya Rassynia, Joh. Lenhardus, & Galli in exercitu.

Interim nonnulli iterum viri augmentum materiæ medicæ addiderunt, dum varia medicamina vel severius tentarent, vel oblivioni quæ tradita essent, iterum in usum revocarent, vel incognita & exotica varia commendarent. Innumeri fere hi sunt; hic citare tantum præ aliis decet Wil. Alexandrum, B. Lud. Trallesium, Ant. L. B. a Stoerk, Henr. Joh. Collinium, M. J. Mar-

*) J. G. Brendel Diss. de vanitate complur. remedior. Vit. 1736.

**) J. F. Cartheuser De ignobili nobilium quorumd. medicament. indole & virtute. Fr. 1748.

xium, Car. Strakium, W. H. Buchholzium, Pasc. Ferro & Chr. W. Hufelandum.

J. Bruno.

Nemo tamen medicaminum tum copiam, tum agendi rationem simpliciori modo exposuit, respiciendo unice ad vires eorum incitantes & debilitantes, quam Jo. Bruno, incitabilitatis systematis auctor, cum asseclis multis in Italia, & Germania, inter quos præcipui M. A. Weikardus; Joh. Frankius, Andr. Röschlaubius, Car. Wernerus.

Jatrochemici.

Eodem fere ævo physiologiam animalem, statum quoque obpositum morbosum & ipsam medendi rationem, medicaminumque actiones ex principiis Chemiæ repurgatæ eruere & explicare tentarunt J. B, Baumesius & G. Chr. Reichius.

Recentissimi.

Sed modeste alii machinam humanam vivam nec considerant qua chemicum laboratorium, nec qua atomorum ludicrum; processum tamen quemdam chemicoorganicum in omni animali vivo agnoscunt. Medicamina ergo non tantum facultates vitales vario modo incitare, sed etiam organicas

partes vario modo in forma & mixtione immutare, non facile semper determinando. Ita Jo. Chr. Reilius; Chr. W. Hufelandus, Car. Chr. Matthæi, cum aliis recentissimis plurimis. Cujus doctrinæ ratio in decursu patebit.

CAPUT TERTIUM.

LITERATURA, ET SCRIPTORES DE MATERIA MEDICA, PRÆCIPUE HUJUS ÆVI.

Non defuerunt quidem a medicæ artis juventute usque ad moderna tempora auctores, qui doctrinam de corporibus medicatis, sive generalem, sive specialem singulorum pharmacorum explanarent, quorum numerus fere infinitus est. Nobis vero, omissis illis qui tum obscuris temporibus, tum & pristinis in seculis scripserunt, & quorum notitia tironibus (excipiendo illos, qui peculiariter huic literaturæ studio se dicare volunt) minus fere necessaria est *), ac recentium auctorum, eos præcipue adnotare hic placebit, qui ultimo nostro seculo hac in medicinæ parte laborarunt.

Prætereundo quoque Monographos illos, qui singularia tantum & specialia pharmaca descripse-

*) Plerique fere una cum operibus suis in priori capite adsignati fuerunt. Plures qui desiderat ex antiquioribus, adeat Halleri Bibliothecam medicopracticam.

runt, quorum mentio in capite de singularibus remediis fiet (quorum tamen numerus ingens, & vix complete adsignandus videtur) hi tantum scriptores hic adnotabuntur, qui pharmacologiam quasi integram & generalem scriptis suis excoluerunt. Sunt sequentes:

J. J. Manget Bibliotheca pharmaceutica S. thesaurus refertissimus materiæ medicæ. Fol. Gen. 1703. Par. 1704.

Paul. Hermann Lapis materiæ medicæ lydius. 4. Lips. 1703. L. B. 1704.

— — — Cynosura materiæ medicæ 4. Argent. 1710. 1726. 1745. III. Vol.

S. Dale Pharmacologia S. manuductio ad mater. medic. 8. Brem. 1713.

J. Casp. Mangold Materia medica. 4. Basil. 1715.

Herm. Boerhaave Libellus de mat. med., & remedior. formulis. 8. L. B. 1719. It. in tom. ult. Comment. Ger. v. Swieten. Id. germ. Wien 1777.

J. Bœcler Cynosura materiæ medicæ continuata. 4. Arg. 1729. II. Tom.

G. E. Stahl Materia medica, von Zubereitung, Kraft und Wirkung der Arzneyen &c. 8. Dresd. 1731.

Herm. Fr. Teichmeyr Institutiones materiæ medicæ. 4. Jen. 1737.

Dav. de Gorter Materies medica, sistens medicaminum simplic. catalogum. 4. Amst. 1740. Pat. 1767.

Steph. Fr. Geoffroy Tractatus de materia medica. 8. Par. 1741. III. Vol. Gal. Par. 1757. Germ. Leipz. 1760.

J. Fr. Cartheuser Rudimenta materiæ medicæ. 8. Frf. 1741.

— — — Fundamenta materiæ medicæ tam generalis, quam specialis. II. Vol. Fr. 1750. 1767.

J. Fr. Cartheuser Pharmacologia theoretico practica. Berol. 1770.

J. H. Schulze Materia medica. Nor. 1746.

C. D. Brotbeck Selectus materiæ medicæ. 8. Ulm. 1749.

Car. a Linnè Materia medica. 8. Upsal. 1749. Edit. Schreber Lips. 1772, 1781. &c.

— — — Observat. in matera medic. Ups. 1772.

J. Hill's History of the materia medica. 8. London 1751.

E. A. Nicolai Systema materiæ medicæ ad praxin adplicatæ. II. Vol. 4. Hal. 1751.

A. E. Buchner Fundamenta materiæ medicæ. 8. Hal. 1754.

— — — Syllabus mater. medic. selectioris. Ibid. 1755.

Lud. Leb. Lœseke Materia medica, oder Abhandlung der auserlesensten Arzneymittel. 8. Berlin 1755. 1763.

Durch Zückert 1773.

Durch Gmelin 1785.

Concentrit durch Rumpelt 1761, 1778.

Rud. Aug. Vogel Historia materiæ medicæ. 8. Lips. 1757, 1760, 1762, 1774, 1784.

J. Juncker Compendium materiæ medicæ. 4. Hal. 1760.

Will. Lewis Experimental History of the materia medica. 4. Lond. 1761, 1768.

Germ. 4. Zürch 1771.

Gallic. 12. Paris 1775. II. Vol.

S. T. de Meza Armamentarium medicum S. materia medica. 8. 1761.

J. Nep. Crantz Materia medica & chirurgica 8. Vindob. 1762, 1765, 1979. III Tom.

German. Wien 1785.

J. F. Rübel Materia medica. 8. Nürnb. 1764.

C. Albr. Gerhard Materia medica, oder Lehre von den rohen Arzneymitteln. 8. Berl. 1766. 1771.

C. Guil. Pœrner Selectus materiæ medicæ. 8. Lips. 1767.

A. V. Zarda Pharmaca vegetabilia. 8. Prag 1768.

M. Ferrein Matiere medicale. 12. Paris 1768. III Tom.

J. Gottl. Gleditsch Alphabetisches Verzeichniſs der gewöhnlichsten Arzneygewächse. 8. Berlin 1769.

— — — Wissenschaft der Arzneymittel. 8. Berlin 1779. 1781. II. Th.

Ch. Alston Lectures on the materia medica. 4. Lond. 1770. II Vol.

J. Lieutaud Precis de la matiere medicale. Paris 1770. II Vol.

J. A. Gesneri Materia medica. Fol. Stutg. 1771.

C. P. Herwig Selectus medicamentor. rationalis. 8. Jena 1771.

Chr. Jac. Mellin Practische Materia medica. 8. Altenb. 1771, 1778. Leipz. 1772, 1778. Frf. 1789, 1793.

Will. Cullen Lectures on the materia medica. 4. Lond. 1772, 1773.

Germ. durch Cornsbruch. 8. Leipzig 1790.

— — durch Hahnemann. 8. Leipzig 1790. II. Band.

I. I. Jantky Selectus materiæ medicæ. 12. Altdorf 1773.

De la Beyrie Dictionaire raisonné universel de matiere medicale. 8. Paris 1774. VIII. Vol. 4. IV. Vol.

J. Reinb. Spielmann Institutiones materiæ medicæ. 8. Arg. 1774.

Germ. 8. Strasb. 1775. 1778.

J. Jaskiewicz Pharmaca regni vegetabil. Vind. 1775.

D. Rutty Materia medica antiqua & nova repurgata. 4. Roter. 1775.

Jos. Jac. Plenk Selectus materiæ medicæ chirurgicæ. 8. Wien 1775.

Joh. Jac. Plenk Pharmacologia chirurgica. 8. Vien. 1782.

J. Andr. Murray Apparatus medicaminum. 8. Gœt. 1776. V. Vol.

Germ. durch Seeger. 8. Braunschweig 1778.

— — durch Althof. Gœt. 1793.

— — — Apparatus medicaminum post mortem auctoris edidit. L. Chr. Althof. Vol. VI. 8. Gœt. 1792.

— — — Apparatus medicaminum continuatus, regnum miner. compl. auct. J. Fr. Gmelin. 8. Gœt. 1795.

Pet. J. Bergii Materia medica e regno vegetabili. 8. Holm. 1778, 1782. II. Tom.

G. Bicker Materia medica practica. 8. Brem. 1778. Germ. 8. Lips. 1781.

J. Cl. Tode Præstantissima ratio illustrandi materiam medicam. Hafn. 1778.

— — — Arzneymittellehre. 8. Copenh. 1797.

F. X. Hœzer Pharmaca simplicia mineralia. 8. Prag 1778.

G. C. Würtz Conamen mappæ generalis medicamentor. simplic. 4. Arg. 1778.

D. Venel Precis de matiere medicale 8. Paris 1780.

C. Mœnch Systematische Lehre von den Arzneymitteln. 8. Marb. 1789, 1792, 1795.

Ph. R. Vicat Materia medica. 8. Leipzig 1782.

J. H. Pfingsten Magazin für Pharmacie, Botanik und Materia medica. 8. Hal. 1782. II. B.

Conr. Soherr Materia medica secund. Systema sexual. Vindob. 1782.

D. J. Schœpf Materia medica americana. 8. Erl. 1787.

Tavares Pharmacologia. 8. Conimbr. 1787.

G. Fr. Hildenbrand Versuch einer philosophischen Pharmacologie. 8. Braunschweig 1787.

Don. Monro Treatise on medical and pharmacchemistry and materia medica. 8. Lond. 1788. III Vol.

Germ. durch Hahnemann. 8. Leipzig 1791, 1794.

A. J. Batsch Versuch einer Arzneymittellehre nach den Verwandtschaften der wirkenden Bestandtheile. 8. Jenæ 1790.

W. Gesenius Tabellarisches Verzeichniſs der einfachen Arzneymittel des Gewächsreiches. Fol. Stend. 1790.

— — — Handbuch der practischen Heilmittellehre. 8. Stend. 1791. 1796.

J. Casp. Ellwert Repertorium für Chemie, Pharmacie, und Arzneymittelkunde. 8. Hildesh. 1790.

F. A. C. Gren Handbuch der Pharmacologie. 8. Halæ 1798. II. Th.

— — — System der Pharmacologie. 8. Halæ 1798. III. Th.

Just. Arnemann Entwurf einer practischen Heilmittellehre. 8. Gœt. 1791, 1795, 1798. Wien 1799.

— — — Chirurgische Arzneymittellehre. Ibid.

Bassiani Carminati Hygiene, Therapeutice, & Materia medica. Ticin. 1791. III Vol.

A. Michelitz Materiæ medicæ ad normam Pharmacopœæ austriaco — provincialis ordine therapeutico digestæ I. Vol. 8. Prag 1791.

J. Andr. Stifft Practische Heilmittellehre. 8. Wien 1791. II. B.

Handbuch der practischen Pharmacologie. Halæ 1792.

J. Chr. Hackel Abhandl. von den Arzneymitteln. 8. Wien 1793. III. Th.

Auswahl aus der Materia medica. 8. Frf. 1794.

K. G. Kühn Magazin für die Arzneymittellehre. 8. Leipzig 1794.

J. J. Römer Annalen der Arzneymittellehre. 8. Leipz. 1795.

Fr. P. Steininger Lehre über die Arzney- und Nahrungsmittel. Wien 1796.

Fr. J. Voltelen Pharmacologia universa. 8. L. B. 1797.

B. Björnland Materia medica selecta. 8. Stockh. 1797.

Versuch einer einfachen practischen Arzneymittellehre. Wien 1797.

Fr. Jahn Auswahl der wirksamsten Arzneymittel. 8. Frf. 1797.

F. L. Segnitz Handbuch der practischen Arzneymittellehre. 8. Leipzig 1797. II. B.

Browniana Pharmacologia, oder Handbuch der einfachsten und wirksamsten Heilmittel, im Geiste der geläuterten Arzneylehre. 8. Stutg. 1798.

Taschenbuch über die practische Arzneymittellehre. 8. Königsb. 1798. III. Th.

Fr. Molwiz Pharmacopœa exquisita ad observationes recentiores accomodata. 8. Stutg. 1798.

F. Swediaur Materia medica s. cognitionis medicamentorum simpliciorum epicrisis analytica. 12. Par. 1800.

Fr. Marabelli Apparatus medicaminum. Ed. A. Careno. 8. Vien. 1801.

J. Salom. Frank Versuch einer theoretisch practischen Arzneymittellehre nach den Grundsätzen der Erregungstheorie. Wien 1801.

CAPUT QUARTUM.

GENERALIA DE MEDICAMENTIS.

Scriptores. Schönholzer de medicamentis. Bas. 1609.
A. Michetta de generali medicamentor. cognitione & usu. Vien. 1753.
J. G. Doberi definitiones medicamentor. Dresd. 1765.
G. T. Gutermann von Arzneymitteln. Augsb. 1780.
C. Mœnch Bemerkungen über Arzneymittel. Lpz. 1781.

Definitio.

Quidquid corpori animali vivo, inprimis vero humano adplicatum, immutare illud valet ita, ut præsens ibi morbus sanetur, aut & futurus præcaveatur, medicamentum dicitur, strictiusve remedium. Nam chirurgica auxilia, aliaque multa, uti electricitas v. g., etiamsi remedia sint, non possunt tamen apte medicamentis adnumerari. Idem de diæteticis. Quare aptius illud, quod scopo memorato inservit, atque ex pharmacopœis petitur medicamentum aut pharmacum vocatur. (Posterius Græcis etiam venenum designat).

Eorum cognitionis necessitas.

Medicamenta sunt ergo mera instrumenta, quibus medicus ad morbum vel debellandum, vel præcavendum utitur. Et prouti turpe esset artifici alicui, propria artis instrumenta ignorare, ita & turpissimum foret medico, illa non nosse quam exactissime auxilia, quibus scopum artis suæ proprie adtingere valet. Quare Pharmacologiæ, sive materiæ medicæ cognitionis necessitas, tironibus medicis sponte elucebit. Nec perfunctorie didicisse medicaminum sola nomina sufficiet.

Objectum.

In dirigendis autem hisce instrumentis, ut fiat talis mutatio, quam ars requirit pro restituenda sanitate, summa hæret difficultas. Regulas iis rite utendi, Therapia tum generalis, tum specialis tradit; atque medica materia nonnisi medicamentorum adparatum pro objecto suo agnoscit.

Agendi diversitas.

Attamen notare hic convenit, mutationem, quæ usum medicaminum sequitur, & in qua vera eorum actio consistit, non absolute eandem ubique esse posse, sed sub diversis circumstantiis multum variam & differentem. Idem medicamentum in hoc morbo aut ægro plane nullum, in alio diversum, quin obpositum, aut insperatum prorsus effectum edit; & sub pertinaci denique ac continuo usu in-

ers plane fit, & nullas amplius mutationes in eodem subjecto exerit.

Quare in medicamine quocunque propinando medicus adtentus esse debet:

1. Ad morbi varium genium, gradum, complicationem, indolemque insolitam;

2. Ad subjecti ægri individualitatem, ætatem, temperiem, vitæ genus, consuetudinem, idiosyncrasiam;

3. Ad ipsius pharmaci variam conditionem, adplicationis modum, cum aliis mixtionem, proinde ad virium illius decompositionem, imminutionem aut exaltationem exinde oriundam.

4. Ad naturam ipsius partis, cui adplicatur.

Descriptionis ordo.

Pharmaca in officinis adversata sunt vel simplicia, vel ex pluribus composita.

In historia singuli cujusvis pharmaci simplicis enumerare oportebit:

1. Ejus quasi definitionem, sive denominationem & systematicam descriptionem.

2. Partes ejus usuales, officinam pharmaceuticam intrantes.

3. Notas caracteristicas, quibus genuina a spuriis & adulteratis distinquuntur, singulorumque sinceritas cognoscitur.

4. Vires medicatas, tum generales, relativas; tum speciales, absolutas.

5. Dosin, seu quantitatem exhibendi necessariam.

6. Optimum exhibendi modum & formam.

7. Præparata ejus in officinis prostantia.

8. Compositiones pharmaceuticas, quas simplex quoddam ingreditur.

In historia autem compositorum pharmacorum adnotanda solummodo erunt:

1. Copia & dosis ingredientium.
2. Vires medicantes exinde oriundæ.
3. Dosis.

Divisio.

Simplicia & composita ex pluribus pharmaca varie iterum subdividuntur.

Simplicium enim aliqua sunt cruda, prouti a natura ipsa producuntur; alia vero præparata seu artificialia, varia arte exculta & immutata, mox occasionaliter & a medicis magistraliter præscripta; mox pharmaceutice & pro usu necessario jam in officinis parata prostantia.

Composita pharmaca subdividuntut in homogenea sive mixta, ex pluribus, sed ejusdem generis & indolis concinnata; & in heterogenea sive adgregata, ex diversarum qualitatum ingredientibus constantia. Posteriorum sæpe vires, quod sponte patet, sub diversis decompositionibus multum & varie eliduntur.

Utraque vel interno vel externo usui destinantur, proinde interna sive medica, externa sive etiam chirurgica pharmaca audiunt. Demum nonnulla domestica sunt, ubique & in quavis fere domo præsto; alia vero officinalia, & nonnisi ex officinis pharmaceuticis habenda.

Quoad regionem, unde leguntur, pharmaca sunt vernacula, seu indigena; vel etiam extranea sive exotica, & a procul petita.

Quoad effectum sunt vel heroica, in minima dosi efficacia; vel mitia, nonnisi in majori quantitate vim exserentia.

Quoad scopum denique varium medicum dividuntur pharmaca in medentia, quæ morbum radicaliter sanant; in palliantia, quæ morbum solummodo mitigant; & in præservantia, prophylactica, quæ futurum avertunt.

Arcanum illud medicamen vocatur, quod ab inventore mystice cellatum, versus specialem morbum in viribus suis extollitur. Panacea vero (ein Universalmittel) illud remedium audit, quod absque omni distinctione causæ & naturæ, cuivis morbo mederi dicitur; — ridiculum nonens. Hisce adnumeranda veniunt Supernaturalia & Sympathetica remedia, quæ a procul, quin corpus ægrotum tangant, medicantes vires exserunt.

Scriptores. Panac.

J. W. Dienheim Medicina universalis. Arg. 1610.
R. Coclenii Assertio medicinæ universalis. Fr. 1620.
R. Fludd De medicina catholica. Fr. 1629.
J. C. Gerardi Panaceæ hermeticæ defensio. Ulm 1640.
Tinctorius de medicament. universal. Reg. 1661.
J. Snyders Tract. de medicam. univers. Fr. 1678.
Crause Diss. de medicina universal. Jenæ 1679.
G. F. Pernauer Panacea mirabilis. Ratisb. 1679.
Ravin Præservatorium universale. Laub. 1680.

Bruner Diss. de Panaceis. Heid. 1686.
Massard Traitès des Panacèes. Amst. 1686.
G. Hennike De Panaceis. Fr. 1689. Heid. 1721.
Leichner Diss. de medic. universal. Erf. 1689.
C. J. Garenzani Il morbifugo universale. Mil. 1693. (Vipera).
Jungken Beschr. der Monkischen Panacea. Fr. 1698.
Preuſs Diss. de paradoxis medicin. univers. L. B. 1708.
Alberti Diss. de Panacea. Halæ 1730.
Gericke Diss. de medicina universali. Halæ 1739.
Reflexions upon catholicon or universal medicine. Lond. 1749.
Schmitt Diss. de vanitate remedior. universal. Gœt. 1757. a Vogel?
Jacquet Diss. de Panacea univers. L. B. 1768.
J. C. Ailhaud Abhandl. von der sichersten Art durch ein einziges Mittel zu heilen. Strasb. 1777. A. d. Franz. (Scammon).

Arcan.

G. F. Wolff De arcanis sæpius vanis. Arg. 1722.
G. Ch. Detharding De laud. nimiis medicamentor. arcanor. venalium. Rost. 1731.
— — — De arcanis medicis. Buez. 1765.

Superstit.

Ch. L. Welsch De superstitiosa morbor. cura. Lips. 1710.
Ch. M. Adolphi De morbor. per manuum attactum curatione. Lips. 1730.
J. A. Fischer De priscorum adversus fascinum remediis. Erf. 1725.
E. E. Baldinger Alexiteria contra diabolum. Gœt. 1778.
P. G. Pohl De medico Exorcista. Lips. 1788.

Sympath.

A. Slevogt Pr. de Sympathetica morbor. curatione. Jenæ 1704.

M. G. Löscher De sympath. curation. medico indignis. Vit. 1723.

G. B. Nebel De curis sympatheticis. Heid. 1732.

G. Fr. Siegwart De curation. sympathet. Tub. 1784.

J. Zeutgraff De tactu Regis Franciæ, quo brunis laborantes restituuntur. Vit. 1669.

Amulet.

J. Ch. Vulpius De Amuletis. Reg. 1688.

J. Wolff Scrutinium Amuletorum. Jenæ 1690.

A. N. Hubner Amuletorum historia & censura. Hal. 1710.

J. Fr. Deprè De usu & abusu Amuletor. Erf. 1720.

I. Reichelt De Amuletis. Arg.

I. Ch. Krause De Amuletis medicis. Lips. 1758.

CAPUT QUINTUM.

DE VIRIBUS MEDICAMINUM IN GENERE ET DE METHODO MEDICAMINUM VIRES EXPLORANDI.

Vires medicaminum in genere.

Theoria materiæ medicæ, id est doctrina de viribus medicamentorum, a pristinis temporibus ea semper fuit, quæ maxime congrueret cum theoria medica universali. Vidimus in capite de historia hujus doctrinæ, quomodo variis ævis, variæ de viribus medicaminum ideæ dominarentur. Jam vero quæ nostræ opinionis ratio sit, ex sequentibus patebit.

Illæ facultates, quibus corpora medicantia in vivo tum homine, tum quovis animali, mutationes certas & motus ad morbosam conditionem auferendam necessarios producere valent, medicaminum vires vocantur. Absolvuntur mutatione, tum in partibus organicis vivis, tum in ipso medicami-

ne peracta; nam vicissim organon a medicamine, & medicamen ab organo immutari debet.

Mutationes in corpore vivo & organis exspectandæ.

Harum mutationum, quæ in corpore vivo a medicaminibus adplicatis contingunt, adæquata notio, ex securis physiologicis & pathologicis principiis unice fere haurienda erit, igiturque vel tunc primum habenda, ubi sanæ & mobosæ animalium conditionis ratio melius elucebit.

Ipso etiam nostro ævo leges animales organicæ non sufficienter cognitæ sunt, ut minus arduum esset, medicaminum vires & agendi rationes, mutationesque in corpore exinde productas exactius explanare. Nam plurimæ adhuc tum physiologicæ, tum pathologicæ theses claudicant, meroque hypothesium inanium valore gaudent.

Dum interim plerique recentissimi auctores vitam animalem in reactione organorum versus stimulos adplicatos, atque in moderato hujus reactionis gradu sanitatem ponant; medicamenta horum exstimulantium moderantiumve instrumentorum numero adsociarunt. Nec tamen omnium medicaminum virtus hisce solum limitibus includi videtur; dum & plurima alia nutrimentorum more in naturam & substantiam animalem fere commutentur, alia iterum consumi fere ab organis vivis videantur, alia demum materiali fere modo, formam & mixtionem organorum diversimode immutare.

Sufficit quidem utplurimum practico medico

scire, quosnam effectus corpora medicata in ægris producant, etiamsi nesciat determinare, quomodo illos producant. Interim tamen, ne cæcorum empiricorum more, medicaminum usus a medicis fiat, ea saltem de theoria medicaminum & eorum agendi ratione commemoranda veniunt, quæ hucusque e melioribus medicinæ theoriis eruere licuit: & quæ, si non certissima, saltem summe probabilia sunt.

Omnium primo notare convenit, vires medicaminum in genere duplices esse, relativas & absolutas.

Relativæ medicaminum plerorumque vires sunt, ad partium organicarum variarum, & varie adfectarum conditiones. Pro subjecti scilicet morbosi, atque ejus conditionis morbosæ diversitate, variæ ab eodem pharmaco, atque eædem econtra in diversis subjectis mutationes ex diversis stimulis medicamentosis producuntur. Sic fatua althæa æque menses pellere potest in certis feminis, ac calidissima sabina in aliis. Sic æstum febrilem æque temperat, ac in alio casu exacerbat opium. Sic ipsa venena nonnulla æque salubria, ac sub aliis circumstantiis deleteria evadere possunt, Idem de medicaminibus fere omnibus, quæ in totum viventis corporis systema, & non specialius in certa organa viribus suis agunt,

Ipsæ doses ad relativas hasce medicaminum vires multum contribuunt. Sic opium sub diversa dosi mox exhilarat, mox somnolentiam causat. Sic rheum mox purgat, mox roborat, Quammaxime autem relativi ad doses & ad conditionem corporis

sunt secundarii medicaminum effectus, e primariis prodeuntes. Sic emetica spasmos sanant, in aliis irritabilibus cient. Sic purgantia irritant, sed nimis evacuando debilitant.

Tamen & absolutæ vires medicaminibus insident; quæ in subjectis summe diversis, atque sub varia eorum tum sana tum morbosa conditione, imo sub varia non raro dosi absolute eosdem, aut saltem consimiles effectus exserunt. Sic mercurius sub protracto usu ubique ptyalismum, cantharides ubique stranguriam producunt. Atque hæ sunt veræ specificæ vires, nulla artis theoria explicandæ nullaque ratione intelligendæ. Observantur ergo quammaxime in illis medicaminibus, quæ versus certa organa determinato modo agunt.

Jam autem omnis actio medicaminum in corpus ægrorum, sive relativa, sive absoluta, duplici modo peragitur, vel immediate, vel mediate.

Actio immediata.

I. Immediate actio hæcce peragitur, in illis partibus organicis, quibus medicamina directe & ipso adtactu adplicari possunt, Videamus, quinam inde effectus produci valeant.

Si pharmaca aut medicamina qua corpora consideramus, aliter omnino agere posse non videntur, nisi viribus, corporibus naturalibus inditis. Corpora autem omnia, proinde & medicata, in hominem vivum — nam vita est prima conditio pro medicaminum actione — alio modo agere non possunt,

nisi: mechanico aut physico, figura, volumine, pondere, adtractione, repulsione, solutione unitatis &c., vel chemico, adfinitate varia, dissolutione, mixtione, adpropriatione; uno verbo & in genere, solidi alteratione aut arrosione; & fluidi immutatione, in specie autem calorificatione, phosphorisatione, azotisatione, oxygenisatione &c.

Attamen, quum corpus nostrum & omne animale, vi vitali, atque aliis variis huic subalternis qualitatibus præditum sit, scire oportet, corporum medicantium actionem inde perquam mire alterari, & non raro alium longe, quin contrarium effectum ipsam sequi, ac ex mechanicis, physicis aut chemicis corporum adtributis debuisset. Natura enim animalis, ut alibi in suis operationibus, ita & hic prorsus incomprehensibilis est, ac in diversas sæpe quin contrarias vias procedit, legibus summe occultis adstricta. Hinc pleraque medicamina inexplicabili fere modo agunt; mixto ex pluribus prædictorum, aut & ex aliis composito.

Ratio suadet, & illæ, quas modo habemus de processu animalium vitali ideæ & notiones ad opinionem nos ducunt, duplicem medicaminum adplicatorum effectum sub immediato illorum adtactu sequi debere, materialibus & dynamicis e principiis eruendum.

Materialis.

Si consideramus organorum nostrorum structuram sub varia ætate, sub diversa sana & morbosa conditione varie sæpe & adeo immutatam, ut

ipsis fere sensibus diversitas hæcce percipi & detegi possit, quemadmodum flacciditas, robur, laxitas, tensio, pallor, rubor, caloris atque voluminis augmentum, imminutio &c.: minime dubitamus, ipsissimam hancce structuram in materie, mixtione & forma, principiorum copia & proportione &c. a medicaminum usu æque immutari posse, ac illam varie immutatam a nutrimento observare licet. Imo in organis vita destitutis, in carnibus aliisque partibus mortuis, eum medicaminum ad materiem effectum oculo videmus, qui ex emollientium, roborantium, aromaticorum &c. remediorum adplicatione exoritur. Male quidem hæc observatio ad corpus animale vivum transfertur; attamen remotior aliqua analogia locum habet; nam cutis v g. & in vivo homine a balneis tepidis adeo laxatur, uti econtra ab adstringentium multo usu corii adinstar densatur.

Quænam autem sint illæ mutationes, quas certa medicamina in organorum materie producere valent, penitus adhuc ignoramus; nec modum & rationes hujus actionis facile intelligemus, quoniam & signa nos adhuc latent, quibus sæpe immutationem hanc percipere & sufficienter distinguere possemus.

Dynamica.

Alia vero est actio medicaminum præter materiei organicæ mutationem, in ipsas organorum vivorum facultates vitales diversas, quæ sub usu medicaminum directe adplicatorum tum excitari, tum deprimi, tum vario modo modificari observan-

tur. Effectus hujus operationis ex actione medicaminum versus facultates organorum vitales, & ex reactione harum facultatum versus medicamina exoriuntur. Mutationes autem, quæ tali modo partibus organisatis & vivis per multiplicem stimulum medicatricem, tum positivum, tum & negativum fere inducuntur, processum vitalem in salubritatem hominis mire alterare valent. Sic vis vitalis varie excitatur, deprimitur, moderatur; sic incitatio adaugetur, imminuitur; sic & specialius diversæ aliæ corporis viventis qualitates, fibrarum irritabilitas, nervorum sensibilitas & vis motrix, membranarum contractilitas, viscerum variorum spontaneitas & propria vitula, vis vegetationis, aliæque occultæ adhuc & non determinatæ animales qualitates vi vitali subalternæ vario modo in ægrorum salubritatem incitantur, infringuntur, diriguntur.

Neque hæcce dynamica medicaminum actio facilius concipitur feliciusve explanatur illa priori in materiem organorum directa. Experimenta cum partibus mortuis instituta huc nullam relationem habent; atque sola sincera observatio mutationum sub usu medicaminum in vivo corpore exoriundarum, actionum harum salubres & insalubres effectus a posteriori docet, vix dilucidandam a priori.

Actio mediata.

II. Mediate actio medicaminum absolvitur, dum mediantibus variis intermediis organis ad dissita ab adplicationis regione loca vires suas exserunt. Hoc contingit medicaminum vel absorp-

tione, vel eorum penetratione, vel partium solidarum inter se consensu, viriumque vitalium æquabili diffussione per corpus vivum.

1. Absorptio nonnullorum medicaminum, aut saltem principiorum medicatorum in vasa, & delatio illorum ad locs remota negari non potest. Etenim multa tum ex ventriculo & intestinis tenuibus, tum ex cavis corporis variis & ipsa cute per vasa absorbentia adsumuntur, & in rivum humorum deducuntur, quod evidenti experimento demonstratur. Nam rubia tinctorum non solum chylum, lac, sed & ipsam ossium substantiam intrat & tingit. Rheum, aut saltem principium ejus colorificum in secundas vias transit, & lotium colore suo imbuit. Allium, sulphur &c. ad ipsam corporis superficiem penetrant, odore distinguenda. Violæ lacti vaccino odorem, & lichen islandicus nutrientium lacti amarorem impertiunt, ut ubera sugere infantes detrectent. Kölpin. Neque desunt experientiæ fide dignorum virorum, vires medicaminum, quin & ipsam mercurii antisyphiliticam virtutem per lac e nutricibus ad lactantes migrare. Th. Morgani experimentis directe constat, plurima medicamina, etsi non immutata, in mesenterii vasa transire.

Ipsissimum etiam contingit multis medicamentis externe adplicatis, ut a vasis absorbentibus adsumta, in humorum communitatem deducantur. Atque sic externe adplicata medicamina internorum vices sæpe agunt, quemadmodum jam Celsus sub nutriente clismatum facultate, & inter hodiernos Henr. Marcardus sub balneorum multiplici usu exactissime adnotarunt. Post adplicationem unguenti

neapolitani J. B. Morgagnus globulum hydrargyri in parotide deprehendit. Immo recentissimis Fr. Chiarenti & Ab Brera aliorumque Italorum experimentis constat, medicamina animalibus humoribus subacta atque per anatripsin cuti illita a vasis libenter absorberi & ad dissitiora loca deferri.

Nunc autem absorpta & in massam humorum deducta illa medicamina, aut fluida immutando in solida agunt, aut etiam vasa & solidas organicas partes adficiendo in fluida agunt.

Absurdum esset contendere, medicamina aliqua nullam omnino in fluidis mutationem producere; principia eorum aquosa saltem, saponacea, mucilaginosa, salina leviora, majorem omnino in fluida immediate ac in solida vim exserere videntur; nam illis facile admiscentur, secretionumque omnium inde oriundarum copiam, fluiditatem, mixtionem, principiorumque ad se invicem relationem absolute immutare debent.

Plura tamen medicamina in organisationis facultates, proinde in solidarum partium compagem & vitam varie agunt; eas stringunt, laxant, varie incitant, vasorumque oscillationes varie alterant, aut & cohæsionem & texturam destruunt aut immutant, secretiones, absorptiones, alias functiones varie promovent, turbant &c., proinde fluida mediate adficiunt. Seorsim enim in solidis mutationem producere vix possunt, quin simul & fluidorum motus & mixtio aliter adficiatur.

Exinde eo magis patefit, pleraque medicamina tum in solida tum in fluida simul agere, varia reci-

proca mutatione inducta; quod quidem Bœrhaavius suo tempore jam agnovit, etsi crassiores ceterum de hisce viribus ideas, & fere mechanicas tunc habuerit.

2. Penetratio medicaminum per poros sive organicos, sive inorganicos, atque propagatio tali modo ad dissita loca, non quidem penitus negari, attamen directis experimentis minime demonstrari potest. Propagantur quidem hocce modo calor, materies electrica &c. Sed de remediis pharmaceuticis hoc non constat. An tamen principia ætherea, aquosa, unguinosa &c. tali modo non propagantur, saltem ad loca minus remota? Cystis fellea quodammodo exemplum præbet.

3. Consensus partium organicarum & virium diffusio per totum corpus.

Certè dantur nonnulla medicaminia, quæ e primis in secundas vias, aut a cute in vasa absorbentia nec recipiuntur, nec recipi possunt, dum a natura pro indigenis agnosci nequeunt. Id intelligendum est de acrioribus pharmacis, de venenis, de metallis etc. Sic mercurii adhibiti vestigia in humoribus & in saliva nunquam deprehendi possunt. Nec ipsum ferrum facile a vasis accipitur. Juxta experimenta D. Wright in cane vivo instituta ferrum non intravit secundas vias; nam uncia dimidia chyli post vitriolum martis ventriculo exceptum, tincturam gallarum non immutavit; dum tamen postea, quarta grani pars in eodem chylo soluta, purpureum colorem induxerit. Sic spirituosa in ventriculum adsumta, vi sua crispante absorbentia vasa contrahentia, atque proinde absorptioni minime apta,

temulentiam, ebrietatem, soporem causant, stimulo suo inter consentientes partes mere diffuso. Narrat Hunterus, laboratorum nuda crura in aquas salinas inmissa, alvi vehementem dejectionem — a refrigerio aut aliis causis minime pendentem — causasse, quin adsumi posset, tantam salis copiam absorptam fuisse, quæ diarrhœam hancce producere valuisset. Neque etiam verosimile est, illa medicamina, quæ naturæ animali summe sunt heterogenea & inimica, a vasis absorbentibus vitalitate donatis, utpote ostiariorum munere fungentibus facile adsummi posse.

Alia ergo, quam per humores, via, multorum medicaminum vires propagantur. Agunt scilicet ab adplicationis loco ad dissitas regiones per facultates vitales in totum corpus dispersas, in incitabilitatem, in irritabilitatem, sensibilitatem &c. mox per nervos, mox per membranas *), mox & per alia organa, quibuscum majorem adfinitatem agnoscunt, modo qui concipi vix potest. An sensationi analogo? —

Interne adsumtorum medicaminum actio in ventriculo utplurimum absolvitur, atque e centro hocce sensibilitatis, reliquis partibus per radios propagatur, eousque fere perdurans, donec in ipso ventriculo facta medicaminis aut eliminatione, aut immutatione, iterum exstinguatur. Dudum jam Joubertus & Platerus hancce ventriculi dignitatem agnoverunt, ut gustus quasi proprii sensum ei adscripserint. Aliqua hujus ideæ de ulteriori pro-

*) Explicabo hoc quondam fusius in proprio tractatu de dignitate membranarum in corpore animali.

pagatione momenta in consensu partium cum ventriculo, aliqua in ipsa partium, præcipue membranosarum cum ventriculo continuitate, cetera in superius memoratis & præcipue in incitabilitatis provocatione ponenda sunt. Inter partes cum ventriculo consentientes encephalon prævalet; inter partes autem ob continuitatem cum ventriculo harmonicas, cutis & tota corporis superficies. Quare merito J. Petr. Frankius antimonialium & opiatorum conspicuam in cutem actionem & sudoriferam virtutem; ipsorum remediorum excitantium in longinquas partes operationem, tum ex continuitate primarum viarum cum cute, tum ex nervorum commercio derivat. Reciproca cutis cum ventriculo amicitia abunde hoc demonstrat. Hinc & emeticorum & purgantium aliquales sudoriferas vires non multum amplius miramur.

Externe adplicatorum medicaminum actio in ipsa utplurimum cute absolvitur, atque e peripheria per radios in consentientia organa transit. Plura saltem pharmaca a poris organicis non recipiuntur, sed alio commercio propagantur. Sic vinum, aliudve excitans, eo momento, quo ore adhuc retinetur, aut debili ægro externe inungitur, refectionem illam momentaneam per partium unanimem consensum (incitabilitatem) producit, quam alii inepte absorptioni in humorum massam, nonnisi longo itinere perficiundæ adscripserunt. Sic mercurii externe inuncti, æque ac interne accepti vis sialagoga absque salis mercurialis absorptione concipi potest; dum nempe nec saliva profluens cum auro tentata contenti mercurii portiunculam indi-

ect. Sic legio quondam integra equitum, qui telonii eludendi causa folia nicotianæ sub indusiis thoraci imposuerunt, temulentiam cum vomitu passa fuit. Sic ipsa experimenta D. Chiarenti & Brera cum anatripsi instituta, omnem medicaminum absorptionem non penitus vindicant, clareque demonstrant, per varium aliud commercium vires medicaminum e superficie ad alias corporis partes propagari debere. (Quum autem in ventriculo & tenuibus intestinis, præter plura quoque absorbentia vasa, plures dentur nervi & liberiores ac in corporis superficie, & plura etiam contactus punita; hinc externorum medicaminum operatio illi interne adsumtorum nunquam æquivalere potest).

Sunt denique permulta tamen medicamina, quæ, sive interne adsumantur, sive externe adplicentur, peculiares prorsus & in determinata solum organa directas vires exserunt, e nullis legibus hucusque cognitis eruendas, quo pertinent vires nonnullorum corporum vere specificæ, quæ negari nullo modo possunt, sicuti ipecacuanhæ in ventriculum, aloes in crassa intestina, mercurii in glandulas salivales, cantharidum in vias urinarias &c. Hæ nec intelliguntur, nec explicantur, adparetque inde, philosophiam nostram de actionibus & viribus medicamentorum multum adhuc imperfectam esse, & eousque fore, donec leges animantium organicæ felicius revelatæ fuerint.

Stimuli ergo, incitamenta &c. Sunt termini nimis generales, virium medicaminum nonnisi remotissimas ideas propinantes. Nam longe alius est sti-

mulus in jalapa v. g. qui intestinum irritat & purgat, ac in vino aut opio, qui totum systema vitalitatis penetrat, inebriat &c.

Qui alienam ab hac nostra ideam de viribus medicaminum habuerunt, minus adhuc sufficienter eorum medendi rationem & intellexerunt, & explicarunt. Quare nonnulli medici falso putarunt, omnia pharmaca alimentorum adinstar in nostram & animalem converti substantiam, atque humoribus nostris semper commisceri; alii econtra crediderunt, nullum fere pharmacon animalem naturam induere posse, neque humoribus perfecte misceri; atque propterea in venenorum classe quæsiverunt generosissima medicamina. Nonnulli iterum omnium, aut plerorumque saltem medicaminum, medendi vires specificas agnoverunt, quasi occultas, conceptu & explicatu impossibiles; e contrario autem alii, omnes absque distinctione medicatrices corporum vires e legibus generalibus, physicis, chemicis, ipsisque organicis hodie cognitis erui posse inepte contenderunt.

Mutationes in ipsis medicamentis exspectandæ.

Prouti organa a medicamentis, sic vicissim medicamenta in corpus adsumta & adplicata a partibus organicis vivis ex mutua reactione immutantur. Minus autem interest scire, quænam mutationes in ipsis medicamentis a corpore vivo alteratis contingant, & quo modo fiant, nisi in tantum, in quan-

tum ad mutationem in organis factam exinde concludere licet.

Dantur omnino medicamenta, quæ vi organorum in naturam animalem penitus immutantur. Huc pertinent — præter alimenta consueta, sub certo respectu & medicata — vegetabilia plurima innocua, nutriente quodam principio donata, uti herbæ tum mucilaginosæ, tum aliæ succulentæ, deleterio stimulo destitutæ.

Attamen sunt & alia, & longe plura quidem, quæ naturam animalem induere nunquam possunt. Spectant huc metalla, vix non pleraque (ferro fors excepto), tum & alia aliorum regnorum corpora & corporum principia, vere propterea venenata, quia natura animalis non prius adquiescit, donec vel stimulum, nullis viribus immutandum, expellendo vincat, vel victa succumbat. Universim salina etiam principia vel maxime cum fecibus e corpore exeunt, atque ex illis quoad maximam partem elixari queunt. An non fors & terrestre medicaminum principium illis adnumerandum, quæ in naturam animalem difficulter, vel vix transeunt?

Nonnullorum medicaminum interne sumtorum vires primum in ipso ventriculo (aut fors externe in cute) enucleantur, exaltantur, immutantur, dum cum humoribus ibi contentis miscentur, atque novas adfinitates & amicitias ingrediuntur, aut repulsiones patiuntur. Salia v. g. metallica nonnulla a succo gastrico ipso omnino immutantur, atque varie decomponuntur, recentibus inde viribus exortis. Mercurius ulceri venereo super impositus venenum non destruit, corpori vero ingestus sanationem

causat. Oleosa, aromatica & spirituosa comburuntur quasi & consummuntur in ventriculo, fatuis postea principiis relictis, quæ sola versus secundas instantias migrant.

Aliqua econtra medicamina in secundas vias adsumta, ibi fors primum quamplurimum immutantur, exaltanturque in viribus suis, quia & primas sæpe insensibiliter infestant. Pauciora equidem hæc sunt, & more fere nutrientium agentia, cum chylo in sanguinem transeuntia medicatas quasdam vires exserunt; directo autem experimento vix demonstranda.

Patet ex hisce, & illas mutationes plurimum adhuc incognitas esse, quas ipsa medicamina corpore vivo animali experiuntur.

Scriptores de viribus medicaminum.

Romanus De simplic. medicam. facultat. Wirc. 1601.
Sennertus De occultis medicam. qualitatibus. Vit. 1610.
Bartsch De medicamentis, eorum facultatibus &c. Arg. 1624.
A. Vari De simplic. medicamentor. facultatibus. Alt. 1670.
J. P. Bruno De medicamentor. facultatibus. Alt. 1670.
Kemper De specificis. Jen. 1682.
Courtois non ergo existunt specifica medicamenta? Par. 1687.
Langewagen De medicamentor. operatione. L. B. 1691.
Rivinus De medicamin. proprietatibus. Lips. 1692.
— — — De dubio medicaminum effectu. Lips. 1689.
Fr. Hoffmann De medicamentis specificis, eorumque agendi modo. Hal. 1694.

Fr. Hoffmann De specifica quorund. medicamin. efficacia. Hal. 1727.
— — — De differenti medicamentor. operatione secundum divers. idiosyncras. Hal. 1731.
Leon. de Capra raggionamento intorno alla incertezza di medicamenti. Nap. 1695.
Gravius De simplic. medicam. facultatibus. Heid. 1704.
H. Bœrhaave De viribus medicam. Plur. edit.
J. H. Fürstenau De medicamentis. rite æstimandis.
Alberti De medicamentor. modo operandi in corpore vivo. Specim. I—IV. Hal. 1719.
G. Detharding De medicam. operatione. Hafn. 1734.
C. Kannegiesser De felicium pharmacor. intelici sæpe usu Kil. 1736.
Juch Diss. de modo agendi medicamentor. in genere spectato. Erf. 1738.
G. S. Kraus Diss. de modo agendi medicamin. Erf. 1738.
G. G. Richter Diss. de medicamentor. efficientia generatim determinanda. Gœt. 1738.
— — — De causis instabilis medicamentorum effectus. ibid.
— — — De cauta virium medicatarum inquisitione. ibid.
— — — De specificis. ibid. 1748.
J. H. Schulze De inexspectato medicam. effectu. Hal. 1739.
E. Hamberger De modo agendi medicamentor. in genere. Jen. 1744.
Chr. G. Stenzel De minus generosis generosor. medicam. effectibus. Vit. 1745.
— — — De herculeis minus herculeor. medicam. fructibus. Vit. 1745.
— — — De præsentissimarum medicam. virium. ibid.
Schäffer De causis, cur medicam. alium sæpe effectum edunt in sanis, quam in ægrotis. Alt. 1745.
J. Juncke De specificis. Hal. 1747.

J. Juncker Diss. exhibens principia ad modum operandi medicamentor. intelligendam. Hal. 1756.

Triller De specificorum dubia fide. Vit. 1751.

C. Fr. Struve De medicamentor. effectuum similitudine. Jen. 1752.

Gyongyossi Diss. de empiricis remediis. Hard. 1753.

A. E. Buchner De differentia actionis medicament. medicæ & physicæ. Hal. 1754.

— — — De causis salutarem medicament. effectum impedientibus. Hal. 1763.

J. E. Hebenstreit De medicam. ut menstruum agentibus. Lips. 1756.

Benefeld De habitu virium motric. ad actionem medicam. Gœt. 1758.

H. Kenens Cogitationes variæ circa modum agendi medicamentor. Arg. 1763.

P. Camper de remediis specialibus.

J. D. Isenflamm De cauta specificor. commendatione. Erl. 1765.

J. D. Schöpf De medicam. mutatione in C. H. præcipue a fluidis. Erl. 1768.

Hanroy an remediorum etiam empiricorum adhibitio dogmatica? Par. 1772.

J. Kausch De medicamentor. in humoribus C. H. non solubilium efficacia. Hal. 1773.

Chr. Fr. Elsner De methodis determinandi medicamentor. vires. Reg. 1774.

J. Fr. Cartheuser De operatione medicamentorum absoluta & relativa. Fr. 1774.

G. Chr. Würz De affinitatibus virtutum medicarum. Arg. 1777.

J. G. Essich Welche Arzneymittel sind die beſsten, und auf was für Art wirken sie? Aug. 1783.

J. Fr. Ulrich De virtute medicam. rite æstimanda. Hal. 1784.

H. F. Delius Cogitationes circa efficaciam medicam. phys. chem. Erl. 1784.

J. J. Freyling De causis operat. medicamentor. vi nutrice. Ing.

Fr. Hildenbrand Versuch einer philosophischen Pharmacologie. 1786.

L. H. Köhler Effectus medicamentor. per vires vitales. C. H. determinari. Fr. 1790.

J. Moore Abhandlung über die Arzneymittellehre, oder Beleuchtung der Theorien des D. Cullen, Hunter &c. über die Wirkungsarten der Arzneymitteln. Leipz. 1794.

Fr. G. Vetter & Haas Diss. de remediorum viribus & usu salubriter limitandis. Lips. 1797.

Th. B. Neuhof Diss. de virium medicamentorum maxime probabili partitione. Lips. 1797.

Kornacher Diss. de modo agendi medicamentor. in corp. vivo animal. Alt. 1798.

Kühnel Meditationes de modo agendi medicamin. Fr. 1798.

Geisler Monita quædam de difficultatibus vires medicamin. rite determinandi. Fr. 1798.

A. F. Henry Diss. de viribus medicaminum. Nan. 1799.

Th. Percival De eod. argum. in Lond. medical. Journ. & in Samml. auserles. Abhandl.

Schöpf Von der innern Wirkung durch äufsere Arzneyen. In Hufeland Journ. V. B.

J. Chr. Reil Beytrag zu den Prinzipien für jede künftige Pharmacologie. In Röschlaub Magaz. III. B.

Car. Chr. Matthæi Ideen über Arzneymittel. Ibid. IV. B.

Fr. Kretschmar Versuch einer theoretisch pract. Darstellung der Wirkungen der Arzneyen. Hale 1800. II. Th.

Modus medicaminum vires explorandi.

Ex supra allatis jam liquet, quod vix unquam ex qualitatibus medicaminum conspicuis, certas eorum vires determinare liceat; quam partibus organicis adplicata, mirum sæpe & inexspectatum eventum nansciscantur medicamenta, e theoria nostra minima eruendum. Videbimus nunc, quænam ergo media dentur, hasce medicaminum vires certe explorandi. Non negligimus quidem penitus physicas, chemicasque eorum explorationes, therapeuticis tamen & experientia medica fundatis, plus fidimus.

1. Physica media vires medicaminum explorandi, in sensuum adplicatione ponuntur.

Tactus parum detegere vallet. Attamen detegit aliquid; corporis medicantis v. g. duritiem, figuram, aliasque facultates aliquas physicas & mechanicas, homini in emolumentum aut detrimentum cedentes. Detegit acus aut vitri tusi deleteriam indolem. Scobis metallicæ mechanico adtritu vermes necantem vim facile distinguit. Lubricantes, involventes, mucilaginosas, gelatinosas, pingues, aliasque corporum proprietates discernit. Quare jam inter Arabes Mesue vires medicaminum tactu quodammodo dijudicare voluit.

Visu volumen medicaminum, color, eorum consistentia, variæquæ aliæ physicæ proprietates facile agnoscuntur. Hocce sensu & Botanici e caracteribus plantarum & fructificandi modo, vires medicatas aliquo modo determinare voluerunt.

J. Ern. Hebenstreit Diss. de sensu externo facultatum in plantis judice. Lips. 1730.

Odor & sapor remediorum jam majoris autem momenti est, ad dijudicandas eorum virtutes. Hæc criteria a summo auctore etiam brutis donata sunt, ut salutaria a venenatis pabulis distinguere valeant. Sublato quoque sapore & odore medicaminis, tollitur & ejus efficacia plerumque, quod annuo examine officinarum medici sciunt; quod patet ex callæ pallustris caustica radice, quæ, dum in farinam redacta saporem amisit, esculenta evadit, & quod idem etiam valet de ari feculis. Sapidæ & odoræ plantæ, insipidas & inodoras viribus plerumque superant. Præstant itaque mentha crispa præ aquatica, melissa præ calamintha, thymus officinalis præ serpillo, viola adorata præ tricolore, rheum officinale præ rhapontico &c.

Quamquam peculiaris aliqua sit conformitas utriusque sensus, gustus & olfactus, ut & deletis particulis odoriferis deleatur quoque sapor sæpe; quemadmodum & sub corrhyza una gustus pereat & olfactus; adeo tamen plane diversus est a se invicem uterque sensus, ut, quæ gratissimum odorem spirent, sæpius sapore nullo prædita sint, & vice versa, ut quoque gratissimus sit sapor earum rerum, quæ ingrato odore gaudent. Videtur itaque sapor ad partes fixiores, salsas, odor vero ad volatiliores unice referri.

Olfactu ergo præcipue volatilia medicamentorum principia percipiuntur, quæ ex corporibus fere omnibus exhalant, & etiamsi solida fuerint,

tritu & calore extricantur. In quonam vero consistat istud principium odorum peculiare, an oleorum æthereorum fors pars constitutiva sit &c. difficile nobis determinatu est. Cum tot atque tam diversi sint odores, ideoque diversissima principia odora assumere deberemus; quæ sub nomine spiritus rectoris post Bœrhaavium alii multi acceperunt, noluit tamen Grenius.

Interim non intermiserunt rerum naturalium scrutatores, quin genera quædam odoris summa constituerent, tanquam facultatum in medicamentis judices. Atque inter hos maxime eminet Car. Linnæus, qui optime odores in septem classes distribuit; in aromaticos, qui motum humorum accelerant, fragrantes, qui nervos erigunt; ambrosiacos, qui vim cordis intendunt; alliaceos, qui transpirationem augent; hircinos, qui venerem excitant; tetros, qui nervos sopiunt, & nauseosos, qui eosdem convellunt & alvum urgent. Sed quanta cum limitatione hæc accipienda sint, facile patet. Sæpe enim uni homini cardiacum videtur, quod alteri nauseosum; atque idiosyncrasiæ, consuetudines, plurimæque aliæ circumstantiæ hic intervenire possunt, quæ in diversis hominibus diversas sensationes producunt.

Ceterum tamen olfactus, cujus & in animalibus præcipue is usus est, ut cibos salubres a venenatis discernant, & ab hominibus quoque ad dignoscenda medicamenta jam diu jure adhibitus est, & jure adhiberi nostro judicio videtur. Etiamsi negari non possit, aliqua tamen medicamina dari, quæ nullum odorem spargunt, & insigni potentia

medendi instructa sunt; uti mineralia pleraque; inter vegetabilia napellus, digitalis, belladonna, gummi gutta &c.; quinimo & talia existere, quæ sub similibus odoris principiis diversissimos effectus medicatos edunt, quemadmodum ex viribus allii & arsenici hoc conspicitur.

C. Linnæi Diss. de odoribus medicament. Ups. 1752. Item in Amæn. acad.

J. Fr. Isenflamm de odoribus. Erl. 1766.

Hagen & Michalowski Diss. de principio plantarum odoro. Reg. 1788.

Sapor medicaminibus valde multiplex est; atque ad eruendas medicaminum vires non negligendus. Etsi ipse odor quoque ad saporem plurimum contribuat, nam & vinum v. g. gustu discriminare absque odore difficile est; tamen & corpora penitus inodora distinctum saporem exhibent. Ad quem explicandum multi ad partium sapidarum; & præcipue salinarum crystallorum diversam figuram, alii vero ad varias causas inter se compositas, figuram, densitatem, solubilitatem, adtractionem, motum &c. principiorum, ex quibus corpora sapida constructa sunt, refugerunt.

Magnæ tamen cautelæ in eruendis e gustu corporum viribus requiruntur. Nam multum & hic facit consuetudo, & idiosyncrasia, & multiplex relatio. Quare de gustibus non est disputandum. Deinde etiam gustus multum dependet a conditione organi & nervorum gustantium, tum a siccitate, solubilitate corporis gustati &c. Plantarum sapor a solo præprimis dependet, quo coluntur; in siccis locis sapidiores sunt, in humidiusculis insipidæ magis, in aquosis sæpius corrosivæ. Cinna-

momum, thymus, lavandula, rosmarinus, hyssopus, melissa in arenosis, siccis locis proveniunt; in aquosis nymphæa, ranunculi, phellandrium. Amittunt etiam multum acredinis plantæ aquaticæ, si in locis siccioribus coluntur.

Sia omnia magnopere acria sunt, præter sium sisarum, quod in hortis cultum dulcissimum est. Apium in paludibus sponte crescens, acre & venenatum, in hortis cultum, dulce & esculentum est. Medicinales quoque plantæ virides haud sunt adeo sapidæ, quam exsiccatæ.

Aliquas saporis ope sat securo distinguimus in medicamentis medicatas vires. Amara v. g. solida roborant, bilis vim acuunt, languenti stomacho succurrunt. Dulcia plerumque relaxant. (Excipias saturnina). Acida diluta sitim exstinguunt, calorem & æstum minuunt. Acria calefaciunt, fibras irritant & exstimulant; copiose adhibita rodunt, externe quoque cutem rubefaciunt. Austera humores inspissant, fibras coarctant, profluvia coercent.

Salsa irritant, humores penetrant & disjungunt, alvum & urinam movent. Mucilaginosa solidas partes emolliunt, relaxant & lubricant, mucum naturalem restituunt & nutriunt, acria involvunt. Sicca insipida humidum absorbent. Aquosa denique solida humectant, fluida diluunt, obstructa expediunt &c. Attamen hæc omnia non sine restrictione sunt adsumenda. Detecta enim saporis ope adtributa vires medicaminum non certo semper indicare, præstantissimum exemplum habetur in opio, colocynthide & gentiana,

tribus corporibus æque amaris, sed virtute sua multum differentibus. Ipsum arsenicum, atrocissimum venenorum, insipidum esse dicitur. Multa saltem penitus insipida medicamina summe efficacia esse possunt, prouti exemplum in calomele.

Fr. Schrader de insipidorum efficacia. Helmst. 1687.

Schelhamer de sapidorum efficacia. Jen. 1694.

G. W. Wedel Theoria saporum medica. Jen. 1703.

Car. Linnæi Diss. de sapore medicamentor. Ups. 1751.

Petr. Luchtmans de saporibus & gustu L. B. 1758.

Videmus ex hisce, maximam judicandi difficultatem parere qualitates medicaminum sensibus perceptibiles; nam & sensus ipsi fallunt, & speciales medicaminum operationes externis sensibus non deteguntur. Quare Aëtius jam observavit, obscura dari ad sensum remedia. Aliquas tamen facultates quandoque sensibus detegi posse, etsi non omnes, nemo negabit. Propterea in medicaminum exploratione sensuum adplicatio penitus tamen nequaquam negligi potest.

2. Chemica media sensuum quidem usum nullatenus excludunt, sed analysi varia, in principia sua remotiora corpora medicata resolvunt, synthesi in priorem formam fere redigunt, additisque reagentibus tentamina eorum instituunt; atque proinde vires eorum, chemico modo in animantia agentes enucleant, illis fors solis exceptis, quæ in qualitatibus insensibilibus aut nondum detectis latent, atque in organa viva occultissimo modo agunt. Sic omnes specificas vires minime explicare valent.

Docent autem econtra, fatuis medicaminibus minimam vim inesse posse, atque eorum therapeuticam dignitatem, plenis utut buccis nonnunquam decantatam, ex mera superstitione se in usum practicum insinuasse, a medicis philosophis multum deridenda. Huc gemmæ, crania humana & mumiæ, ossa leporina, lucii dentes, stercora, aselli, plantaginis destillata aqua; liquiritiæ unguentum, innumeraque alia, tum simplicia, tum præparata & composita spectant.

Partes autem constitutivæ, quas mediante artificio chemico detegere in medicamentis licet, sunt præcipue aquosæ, salinæ, acidæ, alcalinæ, ætheræ, spirituosæ, oleosæ, gummosæ, saponaceæ, resinosæ, terrestres, metallicæ &c. Quibus singulis sua virtus inest, qua diversimode corpora ægrota alterant; conjunctis vero mira quandoque decompositio & inexspectata efficacia contingit.

Quamvis autem ex partibus constitutivis debito modo erutis, certiores reddi possimus de virtutibus quibusdam medicamentorum, tamen monendum est, non posse easdem semper omnes per hanc viam perfecte explorari, neque recte inde determinari; sed dari quoque medicamina, quorum mixtionem nulla arte nobis eruere; alia, quorum aliqua duntaxat, non autem omnia principia extrahere licet; rursus alia complura præsertim ex plantarum choro, quæ licet eadem producta generatim largiantur, communem tamen, experientia duce, virtutem non exserant, uti scilla, opium & cicuta; alia iterum, quorum virtutes & facultates ex partibus constitutivis prorsus non pateant; alia denique,

quæ chemice examinata miracula promittunt, ad lectum vero ægrorum minoribus potentiis se distinguunt, sæpius certe, quam creditur, remedia, quæ optimos etiam in corpus humanum effectus monstrant, non per illud agunt, per quod agere nos contendimus; sed principio longe alio operantur, nec analysi quavis, nec ad sensus demonstrando.

Hinc clare videtur non semper esse principia in corporibus naturalibus ostensibilia, quæ vires medicas eisdem impertiantur; proinde illorum medicamentorum virtutem, quæ principiis ad sensum activis prædita sunt, non quidem excludendam & prætervidendam esse; neque tamen illorum omnium, quæ his principiis destituta creduntur, ex solis rationibus physicis aut chemicis activitatem esse negandam.

Chr. S. Scheffel de fatis medicamentorum chemicor. ex immodicis illorum laudibus. Gryph. 1753.

A. E. Buchner cautelæ circa chemicam remedior. explorationem. Hal. 1753.

C. Linnæus de methodo investigandi vires medicamentor. chemica. Holm. 1754.

Ph. Fr. Gmelin Diss. sistens Botanicam & Chemiam ad medicam adplicatam praxin. Tub. 1755.

G. Vogel Diss. de analysi medicam. simplic. chemica ad virtutes determinandas hactenus perperam adhibita. Got. 1764.

Muzel. Diss. sistens examen usus Chemiæ in medicam. historia. Hal. 1772.

G. R. Lichtenstein dubia circa Chymiæ in virtutibus medicamentor. eruendis præstantiam. Helmst. 1772.

J. D. Herholdt commentario de quæstione medica: num vires medicamentorum aut chymica analysi,

aut sensuum ope," aut consideratione similitudinis in partibus essentialibus rectius cognoscantur? Havn. 1794.

3. Therapeutica media optimam ergo & securissimam exhibent methodum medicaminum vires explorandi, & determinandi, ex ipsa experientia in corporibus humanis instituta desumendas.

Ad istam vero experientiam rite instituendam requiruntur:

1. Subtilior & exactior observatio.

2. Unius & solius in tentaminis finem adhibendi medicaminis adplicatio, sub observatoris conspectu.

3. Medicamen genuinum, aut juste paratum debita forma & dosi exhibitum, & sufficienter continuatum.

4. Morbi naturæ, statusque exacta cognitio.

5. Regiminis vitæ & diætæ sub hoc usu necessariæ circumspecta commendatio.

6. Diversæ ægri dispositionis, climatis ipsius, temporis & omnium illarum circumstantiarum (vide Caput IV.) habenda ratio, quæ in immutandas & detorquendas medicaminis vires, & effectus inde oriundos, aliquem influxum habere possunt. Sic idem medicamentum v. g. calide aut frigide adsumtum, non absolute easdem actiones producit.

7. Proba distinctio effectuum medicaminis ab effectibus aliarum accidentalium causarum.

8. Experimentum in homine, & quidem ægroto non sano, nequaquam in animalibus institutum.

9. Experimentum sæpius repetitum.

Qui minus ad hæc omnia adtendet, mirabitur, medicamen aliquod diversas actiones in diversis subjectis producere, sic, ut in hoc plane nullum, in alio contrarium, in alio insperatum prorsus effectum edat. Sub pertinaci denique ac continuo usu, inertia plane fiunt medicamina sæpe, & nullas ampiius mutationes in eodem subjecto exserunt.

Parum docent illa experimenta, quæ cum medicaminibus in partibus mortuis, carne, sanguine, aut & in vivis animalibus instituuntur. Longe aliæ enim plerumque mutationes ex eodem medicamine in corpore humano vivo animadvertuntur.

Quod si hasce regulas omnes medicamentorum inventores & restauratores stricte observassent, multa superflua medicamina officinas nostras non intrassent, atque medendi simplicitas & Dispensatoriorum justa integritas magis omnino, & in majorem utilitatem exculta semper fuisset. Præcipue dum magnæ auctoritatis viri pharmacum quoddam inventum extulerunt, exemplum — ad breve saltem tempus — libenter multi imitabantur. Unde venit, pharmaca nonnulla proprias quasi periodos observasse; crevit, decrevitque eorum valor cum inventoris fama, selecta solum illa in perpetuum constabunt, quorum virtutes quotidiana experientia admiratur, & nulla invidia negare valet, quia usum eorum nulla turpis credulitas introduxit, sed praxis omni die confirmata.

Grube de modo simplic. medicamentor. facultates cognoscendi. Hafn. 1669.

G. W. Wedel de medicam. facultatib. cognoscendis. Jen. 1678.

Fr. Schrader de cognoscendis medicam. facultatibus Helmst. 1685.

A. Vandi de remedior. investigatione. Bon. 1720.

J. F. Hebenstreit de cognoscendis medicam. facultatibus Lips. 1750.

A. Rüdiger Diſs. de veritate medicamentor. propria & methodo hanc explorandi. Lips. 1750.

Fourcroy l'art de connoitre & d'employer les medicaments. Par. 1785.

J. P. Frank orationes academicæ de virtutibus corporum naturalium medicis æquiori modo determinandis. In delect. opuscul.

J. D. Droop. Diſs. sistens veram in medicamentor. vires inquirendi rationem. Goet. 1793.

Weber. Diſs. de methodis determinandi medicam. vires. Erf. 1797.

S. Hahnemann über ein neues Prinzip zur Auffindung der Heilkräfte der Arzneysubstanzen, nebst einigen Blicken auf die bisherigen. (Morbos pelli per medicamenta, similes morbos cientia) In Hufeland Journ. II. B.

A. F. Nolde Erinnerung an einige zur kritischen Würdigung der Arzneymittel sehr nothwendige Bedingungen. Ibid. VIII. B.

CAPUT SEXTUM.

DE CLASSIFICATIONIBUS MEDICAMINUM.

Quum notæ caracteristicæ medicaminum eorumque virium ex multiplici fonte peti possint, prouti in prioribus dictum; patet sufficienter, plures omnino modos & dari, & ab auctoribus observatos fuisse, pharmaca classificandi & in ordines redigendi. Præstant hic:

1. Ordo naturalis seu systematicus.
2. Ordo physicus.
3. Ordo chemicus.
4. Ordo therapeuticus.
5. Ordo alphabeticus.

Ordo naturalis seu systematicus juxta systema naturæ digestus, a multis scriptoribus materiæ medicæ observatus fuit; quemadmodum ab ipso Linnæo, & post illum a Bergio, Murrayo, Soherro, Jaskiewiczio aliisque.

Fundatur in eo, quod omnes fere plantæ, quæ in genere conveniunt, etiam in virtute conveniant; quæ ordine naturali continentur, etiam virtute propius accedant; & quæ classe naturali congruunt, etiam viribus quodammodo congruant. Sic graminum folia jumentis & pecoribus læta pascua; semina minora avibus, majora hominibus esculenta sunt; stellatæ diureticæ, asperifoliæ adstringentes & vulnerariæ; umbellatæ in siccis locis aromaticæ, calefacientes, & carminativæ, in humidis autem venenatæ; polyandria plerumque venenata, didynamia gymnosperma odorata, cephalica & resolvens est; tetradynamia antiscorbutica, aquosa & acris, quæ virtus autem exsiccatione imminuitur; monadelphia polyandria mucilaginosa & emolliens; diadelphiæ folia jumentis, semina animalibus esculenta, flatulenta ac farinacea sunt &c.

Licet hæc omnia pro maxima parte vera sint, atque systemati Linnæano summum adferant decus & ornamentum, non potest tamen omnis adsensus huic medicaminum classificationi dari. Quandoque enim species ejusdem generis longe diversas therapeuticas vires possident, uti exemplum habetur in cucumere sativo & colocynthide. Quinimo eadem planta in diversis suis partibus vires diversas exserit, uti prunus spinosa in flore & fructu. Sic & multæ a priori regula adsunt exceptiones in ranunculis & solanis obviæ. Nec non ipse systematis auctor hæc sensit, cum saporem & odorem, aliaque criteria sub sensus cadentia semper simul adhiberet ad dignoscendas vires plantarum.

Quare methodus hæc, pharmaca juxta naturale systema ordinandi, non quidem penitus vituperanda, attamen nec perfecta satis & sufficiens agnoscenda erit, cum vires medicaminum notis eorum systematicis non debita semper ratione respondeant.

J. L. Hannemann nova & accurata methodus cognoscendi simplicia vegetabilia. Kil. 1677.

J. Tilemann de signaturis herbarum. Marp. 1699.

R. J. Camerarius de convenientia plantarum in fructificatione & viribus. Tub. 1699.

J. Gotl. Gleditsch Diſs. de methodo botanica dubia & fallaci virtutum in plantis judice. Lips. 1742.

A. G. Platz Progr. de plantar. virtutibus ex ipsarum caractere haud quaquam addiscendis. Lips. 1762.

H. Chr. D. Wilke de usu systematis sexualis in medicina. Gryph. 1764.

J. Fr. Isenflamm methodus plantarum medicinæ clinicæ adminiculum. Erl. 1764.

Fr. J. Helg Diſs. de Botanices systematicæ in medicina utilitate. Arg. 1770.

J. G. Vrolik de viribus plantarum ex principiis botanicis dijudicandis. L. B. 1796.

2. Ordo physicus &

3. Ordo chemicus medicamina exponunt atque in classes redigunt juxta eorum qualitates, sensibus odoris præcipue & saporis occurrentes, tum etiam juxta principia eorum constitutiva:

Diximus jam, vires medicaminum ex physicis eorum qualitatibus & principiis constituentibus definiri utcunque posse; attamen & alia tum occulta non raro principia summe activa in illis latere, tum & vires alias ex diversorum principiorum varia mixtione & ad se invicem ratione exoriri. Quapropter & physica & chemica medicaminum

classificatio practico medico aliquomodo insufficiens videtur.

Superstruxerunt quidem utrique huic, ex physica æque ac chemica compositæ methodo suos medicaminum ordines plures celebres materiæ medicæ scriptores, prouti G. Chr. Storrius, A. J. Batschius, F. A. Grenius & alii, quibus ipse Curt. Sprengelius adsentire videtur; attamen omnes hi viri therapeuticam simul explorandi methodum nequaquam neglexerunt.

Sciagraphia methodi materiæ medicæ, qualitatum æstimationi superstructæ, Præside Storr, resp. F. G. Bebel & G. Th. Bischoff Tubing. 1792.

4. Ordo enim therapeuticus, practico medico omnium summe utilis & acceptatus, medicamina juxta vires eorum experientia medica confirmatas distribuit; dum methodus vires hasce explorandi practica, medicaminum non solum relativam in corpore ægroto actionem, sed & positivam exacte determinat, physica exploratione haud inveniendam. Sic vis emetica ipecacuanhæ, vis sialagoga & antisyphilitica mercurii &c. sola practica exploratione innotescere potuit. Plerique etiam materiæ medicæ scriptores hancce therapeuticam classificationem propterea observarunt; uti L. L. Lösekius, J. N. Crantzius, Gu. Cullenius, C. J. Mellinus, J. Arnemannus, J. A. Stifftius, ceterique.

G. W. Wedel Synopsis qualitatum & effectuum medicaminum. Jen. 1712.

Heister Diss. sistens novum schema systematis circa divisionem medicamentorum. Helmst. 1744.

J. C. Diez über die Methode in der Arzneymittellehre. Jen. 1793.

Dubium quidem merito exoritur, utrum dentur naturales therapeuticæ medicaminum classes, in tantum nempe, in quantum vires eorum plurimum relativæ ad ægrorum corpus & morborum naturam sunt. Atque hocce intuitu, vulgaris medicaminum therapeutica classificatio Empiriam quodammodo protegere videtur. Cardiacorum e. g. classis imperitos facile seducere potest ad indistinctum usum nutrientium, stimulantiumve; ubi tamen ob aliam virium vitalium ex plethora aut gastrico fomite subpressarum dejectionem, practico medico & venæsectio, & purgans, & emeticum ipsum cardiacum esse potest. Antispasticorum carminantiumque classis, medicos ad causas morborum minus adtentos, ad volatiles nervinasque substantias exhibendas perducere potest in ægris, quibus sub alia morbi causa emeticum, purgans, emolliens medicamen, ipsa venæsectio antispastica evasissent. Idem de emmenagogis, aristolochicis, plerisque aliis therapeuticis medicaminum classibus intelligendum est, quoniam sub diversis circumstantiis eadem medicamina diversas virtutes, atque diversa easdem vires exserere possunt. Boerhaavius jam adnotavit, nullum dari medicamen, quod ubique bonum esset. Id, quod hac sub rerum facie salutare fuerat, mutata conditione, perniciosum sæpe deprehenditur.

Hac quoque ex ratione, sub optima medicaminum & summe therapeutica classificatione evitari non potest, ut corpus quoddam medicatum in plures sæpe classes simul referri debeat; docentis

æque ac discentis incommodo. Camphoram quæso, quo reponam, & ubi quæram? An inter antiseptica, stimulantia, nervina, sudorifera vel anthelmintica? Opium an inter sudorifera, nervina, antispastica, stimulantia, aut inter narcotica & sopientia?

Denique nihil magis absurdum est, quam si descriptiones medicaminum præter caracteres in classe adnotatas, decantationibus adhuc specialium virium in morbis extolluntur, quæ nimis Empiriam redolent; & quas nostris temporibus eradicare serio animus erit. Hinc empiricæ medicaminum nonnullæ classificationes, in antiepilepticas, antipleuriticas &c. penitus nullius valoris sunt, quoniam vires hæ a relativis medicaminum actionibus pendent. (Excipiantur antisyphilitica, nulla ratione intelligenda & explicanda).

Sub tanta rerum objectorumque confusione non magna spes adfulget, & nostras therapeuticas medicaminum classes — qui tamen ordo inter reliquos præplacet — perfectioni veræ se multum adproximare. Quare ad illa complenda, quæ hic deficere facile possunt, alphabeticum adhuc ordinem subjungemus in IX & X Capite.

5. Ordo alphabeticus enim, etsi mere grammaticus, hoc tamen habet commodi, ut corpora medicata securius ordinari possint, quia facilius hoc modo a quærentibus inveniuntur. Neque partes variæ ejusdem medicaminis, aut præparata ejus diversa virtute pollentia; tali modo a se invicem disjiciuntur.

CAPUT SEPTIMUM.

THERAPEUTICUS ET NOSTER IN PHARMACIS CLASSIFICANDIS ORDO; NEC NON DE VIRIBUS MEDICAMINUM IN SPECIE.

Quemadmodum potentiæ morbificæ tali modo in corpus hominum vivum agunt, ut mox totum systema vitalitatis, variasque ejus subalternas qualitates, per totum corpus diffusas adficiant, quin certas partes aut organa certa peculiarius adfectent; mox vero certa & determinata organa infestent, sub varia in reliquum systema actione; ita & medicamina ipsa, mox totam, ut ajunt, substantiam corporis alterant, quin prædilecta quasi organa adgrediantur; mox vero peculiarem actionem in certas & determinatas corporis partes evidenter demonstrant. Atque hæcce verissima observatio in classificandis medicaminibus nos hic unice diriget, quia in praxi medica summam adtentionem meretur.

Vix quispiam negabit, difficillimum omnino negotium esse, medicamina in justos therapeuticos ordines redigere, quousque eorum agendi ratio exacte determinari nequit, & morborum ipsorum systema naturale non comparebit. Celebres propterea pharmacologi variis suis medicaminum divisionibus, nequaquam clinicis medicis suffecerunt; atque eo minus & nostram propriam classificationem vana superbia extollere conabimur, artique libenter debebimus, quæ maximi viri non præstiterunt. Quin & nostrum huncce ordinem qua recens inventum minime divendimus, probe gnari, & antiquissimos auctores eum quodammodo jam observasse, & decimo jam Sexto seculo ab Joh. Heurnio provulgatum, nec non recentius nostro fere ævo a Fr. Boitier de Sauvages *) excultum fuisse. Eum tamen recentibus arridere, vetustiores simul haud offendere, minime dubitamus.

Videntur scilicet præ aliis, quoad veram medicaminum naturam, duæ classes stabiliri posse, ex viribus eorum therapeuticis, tum relativis, tum absolutis, & ex ipsa experientia haustæ. Prima classis illa comprehendit pharmaca, quæ in totum systema corporis humani vires suas exercent, quin partem aliquam peculiarius adficere videantur. Secunda classis vero illa pharmaca includit, quæ versus particulare aliquod or-

*) Fr. Boitier de Sauvages Dissertation sur les medicamens, qui affectent certaines parties du corps humain plutot, que d'autres &c. a Bourd. 1752.

ganon specialius agunt, totum vero & reliquum corporis humani systema plus minus adficere valent.

Non tamen hæc ita intelligenda sunt, ac si partis alicujus morbus illis medicaminibus sanari non possit, quæ totam substantiam adficiunt; neque ita, ac si organicum malum illa absolute pharmaca petat, quæ vires suas eo solummodo exserunt; sed virium medicantium via & directio hac in divisione aliquomodo monstratur; nam seligendorum in morbis medicaminum certiores regulas dare, Therapiæ objectum est.

PRIMA CLASSIS.

Pharmaca in totum systema corporis agentia, quin organon aliquod peculiarius adficerent.

Ad istam classem præcipue illa pertinent, quæ in corporis totius facultates vitales agunt, atque in subalternas vitalitati qualitates undique dispersas, incitabilitatem, sensibilitatem, irritabilitatem &c., organorum vero propriam vitam — si dicere liceat — vel non, vel haud sat conspicue adficiunt. Præterea huc quoque spectant, quæ circulationis negotium expediunt, propterea & secretiones, absorbtiones, atque lymphatici systematis actiones facilitant, promoventve, aut læsas restituunt. Huc ergo faciunt, I. quæ vitalitatem exorbitantem deprimunt, antiphlogistica;

II. quæ depressam erigunt, excitantia; III. quæ circulum humorum pendentesque inde secretiones expediunt, solventia.

I. Antiphlogistica.

Antiphlogistica, antisthenica, refrigerantia, debilitantia pharmaca illa dicuntur, quæ stimulo medicamentoso aut nullo, aut moderatissimo reactiones vehementes morbosas in corpore compescunt, aut & humores nimis incitantes eliminant, proinde ipsam vim vitalem infringunt, circulationem refrenant, calorem animalem morbosum ex nimis vivaci reactione versus incitamenta morbifica exortum imminuunt, nervos membranasque non tantum non irritant, sed & irritatos componunt, stimulos morbosos, si non tollunt, saltem enervant, corpus debilitant. Propterea omnia evacuantia, quorum evacuans virtus stimulantes fors eorum superat, hancce ad classem quoque spectant. Ineptus atque immoderatus usus eorum noxius evadit, dum necessarios pro vita & sanitate stimulos detrahit, vires vitæ & naturæ imminuit, atque directam — ut nuperi ajunt — debilitatem inducit; languentem scilicet ex defectu incitamenti vitam. Externe fere æque, ac interne vires suas exserunt.

Indicantur in omni statu sthenico, in omni morbosa ex nimio incitamento conditione, in omni inflammatione vera & pyrexia, cum viribus vitæ exorbitantibus, cum circuli vehementia, atque calore exinde præternaturaliter aucto.

Contraindicantur ab omni conditione asthenica, & debilitate non spuria.

Includunt præter evacuantia antiphlogistica, tum ex adparatu chirurgico haurienda dum in adparatu pharmaceutico inferius memoranda, 1. Relaxantia, 2. Diluentia.

G. Berger de refrigerantium modo operandi mechanico. Erf. 1702.

J. Fr. Cartheuser de refrigerant. differenti indole ac modo operandi. Erf. 1740.

J. G. Brendel de justa methodi refrigerantis æstimatione. Goet. 1752.

J. Fr. Faselius de medicamentis refrigerantibus. Jen. 1764.

F. E. Schröder de methodo refrigerante & antiphlog. Erf. 1790.

G. E. Hamberger de medicam. emollientibus. Jen.

1. Relaxantia.

Relaxantia, emollientia, chalastica Græcis adpellata, in solidas partes & in ipsam organismi materiem præcipue agunt, contractilium fibrarum tensionem imminuunt, negativo fere stimulo reactionem morbosam vehementem impediunt, spasmos partiumque rigiditatem ex iisdem causis exortam solvunt, & imminuta fere fibrarum cohæsione, majorem flexibilitatem membranis inducunt, stimulos denique morbosos mechanicos aliquomodo involvunt, aut enervant. In nervos ergo vix, aut negativo modo & indirecto agunt.

Adnumerantur hisce A. mucilaginosa, B. farinosa, C. gelatinosa, D. saccharina, E. unguinosa non rancida. Quæ tamen

omnia, interne adhibita, tam parce sunt ingerenda, ne stimulo voluminis noceant; & tali quantitate fluidi diluenda, ne nutriendo, vires ægrorum alioquin exorbitantes, extollere adhuc valeant; aut adeo fatua exhibenda in potu tepido, ut quasi — nulla virtute, aut nullo saltem stimulo agant, & tamen vasa moderate implere, atque humores resarcire valeant.

A. Mucilaginosa.

Mucilaginosa medicamina principio vegetabilium mucoso aut gummoso scatent; proinde viscosa, insipida fere, in aqua solubilia sunt, atque exsiccata, verum quasi gummi sistunt, denuo in aquis solubile. Huc spectant:

a. Vegetabilia viscosa insipida; radix salep, radix, herba, flores althææ, herba & flores malvæ, flores alceæ, papaveris rhœados & verbasci unacum ejus herba, flores meliloti, herba mercurialis & tussilaginis, capita papaveris, semina cydoniorum, fænugræci, & reliqua hujus farinæ.

b. Gummata vera; gummi arabicum & senegal, tragacantha, & nostratia, cerasorum, prunorum &c. purificata.

B. Farinosa.

Farinosa aut amylacea medicamenta a mucilaginosis in eo differunt, ut cum aqua quidem aliquomodo misceantur, mucilaginisque

formam fere induant, non tamen perfecte in ea solvantur, sed fæculas in fundum dimittant. Naturam vero hancce farinosam etiam acria nonnulla possident; quare huc solum sequentia spectant:

Triticum, secale, hordeum, avena, cerealia pleraque & legumina esculenta, atque amylum ipsum. Salep quoque hisce farinosis corporibus certo intuitu adnumerari posset.

C. Gelatinosa.

Quemadmodum mucilago vegetabilium, ita gelatina animalium pars constitutiva est, quæ in fluido statu lympha, in solido & coagulato gluten, in intermedio vero gelatina audit. Hæcce in aqua solvitur, aut potius diluitur; per se sapore & odore caret.

Extrahitur cum aqua coctionis ope; ex cornu cervi raso, ebore, ichthyocolla, atque animalium plerorumque carne, cartilaginibus, ossibus, aliisque partibus.

D. Saccharina.

Saccharina cum mucilaginosis corporibus fere eadem principia agnoscunt, quantitate potius, quam qualitate differentia. Differt tamen saccharum a mucilagine ob salinam & in crystallisationem pronam naturam, atque ob saporem suum dulcem. Ceterum vegetabile principium est, in

aqua solubile, & pro parte viscosum. Adnumeranpa veniunt:

Ipsum saccharum, manna, & fructus quidam dulces saccharini, passulæ, carica, pruna damascena, dactyli, cassia, siliquæ dulces; atque inter radices daucus, liquiritia, polypodium; ex regno animali mel, & saccharum lactis.

G. W. Wedel de dulcium natura, usu & abusu. Jen. 1694.

E. Unguinosa non rancida.

Unguinosa medicamina vocantur, quæ pingui potius, quam vero oleoso principio scatent.

Hocce principium æque in vegetabili ac animali regno deprehenditur; inflammabile est, sed nec in spiritu vini, nec in acidis, nec in aqua solubile; optimamque unionem cum salibus alcalinis init, dum in saponem mutatur. E vegetabilibus, eorumque præcique seminibus & nucleis pressione obtinetur, aut emulsione; ex animalibus coctione adquiritur, aut & collectum jam in cryptis nonnullis deprehenditur.

Ex regno vegetabili habemus amygdalas, atque earum oleum pressum, easque pro emulsionibus, uti & semina citrulli, cucurbitæ, cucumeris, melonum, pinearum & papaveris; olea quoque pressa cannabis, lini, nucum & olivarum, nec non butyrum cacao.

Ex regno animali lac & butyrum, vitellum ovorum, ceram, sperma cetaceum, animaliumque axungias, medullas & seva.

2. Diluentia.

Diluentia vocantur illa medicamina, quæ fluidorum nimiam tenacitatem, lentorem, coagulabilitatem morbosam &c. imminuunt, quia humores dividunt, minoremque resistentiam ponendo, morbosas reactiones infringunt, ac solida simul humectant. Huc spectant A. inundantia, B. adtenuantia.

A. Inundantia.

Propterea ita dicuntur, quia humores aquoso vehiculo inundant, principiique aquosi versus cetera proportionem augent; prouti

Aqua, & aquosa fatua, potus infusi, decocti, mixturæ forma, & copiose exhibita. Notandum tamen est, aquosos istos potus non semper humoribus bene misceri, aut saltem per urinas immutátos fere iterum non raro excerni.

G. W. Wedel de aqueorum natura, usu & abusu Jen. 1702.

S. P. Hilscher de medicam. diluentium natur. & cauto usu Jen. 1744.

B. Adtenuantia.

Adtenuantia sive temperantia medicamina peculiari vi humores dissolvunt, crassos spissosque tenuiores reddunt, circulo liberiori & secretionibus aptant; reactionem solidorum infrin-

gendo debilitant simul & refrigerant. Erunt sequentia:

Sales acidi vegetabiles aqua diluti, acetum, sal essentialis tartari, atque succi fructuum horræorum, citri, tamarindorum, berberis, cerasorum, mororum, myrtillorum, ribesiorum, rubi idæi, fragorum, & varia exinde parata oxysaccharina & oxymelita. Inter olera acetosa & acetosella. Ipsa acida mineralia, plurima aqua diluta quodammodo huc spectare possunt.

Sales neutri mitiores, humorum densitatem & coagulabilitatem imminuentes, solida non multum stimulantes, moderata dosi exhibiti, nitrum, cremor tartari, tartarus tartarisatus & solubilis, alcali vegetabile citratum & terra foliata tartari humida, hic suum locum quoque defendunt.

P. Gericke de medicam. attenuantibus. Helmst. 1745.

II. Excitantia.

Excitantia aut etiam cardiaca medicamina vocantur, quæ vim vitalem languentem erigunt, solidas partes, præcipue sensiles incitando ad reactionem vividiorem provocant, aut inordinatos earum ex debilitate motus occulto modo componunt & immutant; majori in gradu aut diutius adhibita ipsam irritabilem fibram exstimulant, vimque ejus contractilem, atque circulum humorum adaugent. Immoderatus eorum & ineptus usus nocivus evadit, dum incitabilitatem & vim

vitalem exhaurit, atque debilitatem — quam nuperi vocant inderectam inducit. Externe varia intensione sub nomine resolventium, discutientium, antisepticorum, irritantium &c. nonnulla eorum adplicantur.

Indicantur in omni debilitate vera & in omni asthenica conditione, cum vi vitali, naturali, animali vere languente, malisque innumeris inde pendentibus. Eorum stimuli gradus, debilitatis gradui adaptatus semper sit oportet; atque in hocce stimuli gradu dirigendo maxima medici ars consistit. Quæ doctrina autem Therapiam spectat.

Contraindicantur a sthenico statu, atque a spuria debilitate, ex plethora, ventriculi saburra &c. exorta.

Dividuntur 1. in diffusibilia, & 2. in permanentia.

H. Laub de virium debilitate & remediis cardiacis. L. B. 1707.

L. Heister de cardiacis medicam. 1729.

J. F. Faselius de medicam. cardiacis Jen. 1765.

G. H. C. Mehlis, de excitantium usu in febribus Gœt. 1787.

1. Diffusibilia.

Excitantia diffusibilia quam proxime & quam celerrime in ipsam vitalitatem agunt, subitaneas & vehementes reactiones producunt, sed durabiles & permanentes effectus non præstant. Videntur aut consummi ab organis viventibus prouti sevum candelæ a flamma, dum sensibiliter e corpore non exhalant; aut qua æthereæ substantiæ

in principia corporis elementaria transire. Includunt A. analeptica, B. nervina, C. stimulantia D. alexipharmaca. Nonnisi gradu stimuli differunt.

A. Analeptica.

Analeptica remedia momentaneam virium restaurationem causant, quia directe in principium vitale & nervos, non per humorum viam agunt. Sensum saporis & odoris præ aliis adficiunt; nervos tamen universim feriunt; incitando reactiones vitales universas promovent. Talia sunt:

a. Vinosa, vinum ipsum & vino analoga, acida scilicet alcohole dulcificata, æther & naphtha vitrioli, liquor anodynus, spiritus nitri & salis dulcis, atque æther aceticus; quodammodo acetum fortissimum ipsum & concentratum, tum & radicale ac aromaticum varium.

b. Spirituosa Alcoholisata; spiritus vini & frumenti rectificatus, eorumque præparata varia aromatico atque æthereo stimulo exarmata, quemadmodum spiritus anisi, aromaticus, balsamicus, carvi, juniperi, lavandulæ, melissæ simplex & compossitus, cochleariæ, menthæ, rosmarini, serpylli &c.

c. Alcalina volatilia, spiritus salis ammoniaci causticus, vinosus & aromaticus multiplex, sal & oleum cornu cervi, liquor cornu cervi succinatus, spiritus Mindereri, &c.

Hæc omnia analeptico scopo vel interne adhibentur, vel naribus adtrahuntur, vel & externe cuti inunguntur.

A. Vater analepsis rationalis. Vit. 1727.

G. Dethardingde operationibus medicam. reficientium. Hafn. 1735.

M. Alberti de analepticis. Hal. 1745.

Ph. Fr. Gmelin de analepticis quibusdam nobilioribus. Jen. 1765.

B. Nervina.

Nervina medicamina, sub certo respectu & antispastica dicta, vim vitalem & nervinam languentem erigunt, minus tamen momentanee agunt, quam analeptica. Solidas partes universim ad vividiores reactiones invitant, & specialius nervos grato stimulo adficiunt, quin circulum humorum multum adfectent, nam magis in sensilem, quam in irritabilem fibram agunt; saporem quoque & odorem præ aliis sensitivis nervorum qualitatibus tangunt. Majori dosi & diutius sæpiusque adhibita, irritantia, stimulantia, calefacientia quoque evadunt. Huc pertinent:

a. Substantiæ vegetabiles volatiles, spiritu rectore, principioque æthereo donatæ mitiori; earum infusa & aquæ distillatæ, quemadmodum flores aurantiorum, lavandulæ, macis, tiliæ; herba majoranæ, melissæ, menthæ crispæ & aquaticæ, origani &c. Præterea substantiæ gummi resinosæ & resinosæ, prouti gummi ammoniacum, benzoë & camphora (quæ juxta experimenta

Alexandri, Marcardi, aliorum, adeo circulum non auget, ut potius pulsuum frequentiam inhibeat; quod tamen non absolutis, sed relativis ejus viribus adscribendum mihi videtur).

b. Substantiæ animales graveolentes, uti ambra, castoreum, moschus, zibethum & bezoardica, quondam usitata; dein

c. e regno minerali succinum, atque moschus artificialis, ex oleo succini cum spiritu nitri paratus.

Fr. Hoffmann de specificis antispasmod. Hal. 1704.

J. Ph. Nonne de antispasmodicor. modo agendi & usu. Erf. 1769.

Jadelot an antispasmodicor. multiplex specis? Nanc. 1773.

J. Fr. Cartheuser de præcipuis remediis nervinis. Fr. 1777.

C. Stimulantia.

Stimulantia, irritantia, calefacientia medicamina, nervos & vim vitalem adeo incitant, ut & musculares fibras involuntarie agentes in consensum trahant, atque proinde arteriis & corde vividius excitatis, circulationem augeant, partiumque solidarum omnium actionem & fluidorum motum expediant. Ergo non solum nervos languentes erigunt, sed & reliquarum solidarum partium inertium contractilitatem intendunt, oscillationes adaugent, motum circulatorium & calorem animalem extollunt.

Contraindicantur ob stimulum fortiorem a nervorum nimia sensilitate & fibrarum nimia irritabilitate, atque potius indirectæ debilitati, nervis stupidis & fibris paralyticis indicata videntur. Externe adplicata similes vires exserunt, ac interne adhibita, quæ vires a secundariis effectibus denuo varias denominationes adquirunt; resolventium, discutientium &c.

Spectant huc, præter ipsa priora, analeptica & nervina majori quantitate adhibita:

a. Aromata fortiora, anethum, anisum, amomum, cardamomum, carvi, caryophylli, cerefolium, canella, cinnamomum, coriandrum, cuminum, cubeba, laurus, nux moschata, piper, faba pichurim, rosmarinus, serpillum, thymus, zingiber &c. horumque corporum & similium olea ætherea, tincturæ &c.

b. Substantiæ fragrantes fortiores variæ & balsama ætherea; abrotanum, chenopodium botrys, & ambrosoides, mentha piperita, ruta; radix angelicæ, contrajervæ, enulæ, imperatoriæ, levistici, serpentariæ virginianæ, lignum sassafras, oleum cajeput, balsama naturalia & artificialia, resinæque penetrantiores.

G. W. Wedel de aromaticorum natura, usu & abusu. Jen. 1695.

Fr. G. Abel de stimulantium mechanica operandi ratione. Reg. 1744.

Brendel de recto calefacientium in morbis usu.

Car. Linnæi medicamina. graveolentia. Ups. 1758.

J. Fr. Cartheuser de simplicibus & aromaticis. Fr. 1764.

Douglass Diss. de stimulis. L. B. 1766.

D. Alexipharmaca.

Alexipharmaca remedia adeo incitant, tantoque stimulo non solum in nervos, sed etiam in circulatorium systema agunt, ut sudores moveant, & propterea miasmata imaginario modo in humoribus residentia per corporis superficiem expellere quondam crederentur.

Præter penetrantissima vehementissimoque stimulo donata corpora prius enarrata, largiusque exhibita pertinent huc: olea empyreumatica, oleum cornu cervi, animale Dippelii, fuliginis, alcali volatile, & phosphorus, cujus tamen deleterius & periculosus semper internus usus videtur.

Chr. G. Stenzel de Bezoardicis. Vit. 1735.

2. Permanentia.

Excitantia permanentia vim vitalem & nervosam languentem erigunt stimulo minus quidem penetrante & diffusibili, attamen diutius persistente; proinde vires exserunt non momentaneas, sed diutius permanentes, nam fixo suo principio medicato agunt. Quare & majori dosi & minus repetitis vicibus propinari ægris possunt & debent, quam volatiliter stimulantia. Quodammodo etiam in naturam animalem convertuntur, atque in organismi materiem transire videntur, nec non sanguinem & humores tum immediate, tum mediate solidorum adficiunt, compingunt. Consistunt tum in nutrientibus tum in roborantibus remediis.

A. Nutrientia.

Nutrientia non solum diverso stimulo corpus languens excitare valent, sed & necessaria solida atque fluida pro sanitate servanda subpeditant, aut & per morbum deperdita resarciunt. Plastico principio organicas partes ædificant, atque organismo firmato vires deperditas restituunt. Nam solus stimulus non est, qui vitam animalem procreat & sustinet. A nutrientibus vita, uti flamma ab oleo foveri videtur. Stimulo calcis avenæ mixto v. g. macilentissimus equus, quod hippopolis bene notum, in magnam molem brevi pinguescit; sed adeo non nutritur, ut post paucas hebdomadas miserrimus pereat fere. Nemo interim dubitabit, admixtum nutrientibus aptum stimulum, excitantem eorum vim pro languentibus animalibus multum acuere. Quare absque condimento omnia fere nutrientia fatua.

Attamen hic nutrientia, quæ stricte ad Diæteticam pertinent, pertractare scopus non est. Consistit eorum vis utplurimum in principio mucilaginoso & farinaceo vegetabilium, atque in gelatinoso animalium; quæ quo concentratiora sunt, eo magis nutriunt; nam fatua & diluta, ab aqua prævalente minores effectus edunt.

B. Roborantia.

Roborantia, tonica remedia, adstringentia quoque dicta, & in majori gradu stiptica, nec non inspissantia, incras-

santia, coagulantia, in quantum humores adficiunt; irritatione solidarum partium, nervorum, membranarum, fibrarum, contractionis reactionisque vividioris causas præbent, & vel ideo fors in secundas vias non libenter transmigrant, nisi multum mutata. Intelligitur inde, in quantum facultatem possideant, interstitiis membranarum se interponendi, atque adtractionem cohæsionemque partium adaugendi. Hocce ex intuitu, laxis & flaccidis fibris compactionem conciliare, roburque inducere veteribus videbantur; imo & modernis experientia compertum est, formam mixtionemque organicam, atque reciprocam principiorum in materie relationem per ea immutari, quin autem veram hujus actionis rationem adsignare sciant. Et verum est, a roborantibus remediis non adeo stimulo illorum oscillationes, reciprocasque frequentes reactiones in solidis excitari, quam firmitatem potius eorum & tonum adaugeri; quæ solidorum conditio, ad vitam sanitatemque summe necessaria, minus consideratur ab iis, qui stimulos & reactiones versus stimulos unice & ubique somniantur. Tonica hacce virtute irritabilitatem nimiam morbosam quoque & erethismum e debilitate persæpe exoriundum, levant & corrigunt. In fluida simili modo agere, atque cohæsionem eorum & mixtionem multum perficere, extra dubium fere est; sed indirecto modo, & per solida ipsa. Quare hoc respectu sunt vera simul antiseptica, discrasiam humorum prævertentia, corrigentia. Ipsas mortuas animalium partes, coriariorum testimonio stringunt; experimento autem ad viva or-

gana caute transferendo. Gaudent principio proprio, coriario propterea dicto (Gerberstoff).

Quoad qualitates suas sensibiles optime dividuntur in *a.* tonica levissime adstringentia, *b.* tonica amara simplicia, *c.* tonica amara adstringentia, *d.* tonica proprie adstringentia sive stiptica, & *e.* tonica amara aromatica. Non differunt hæc nisi virium intensitate.

Meurer Diss. de vera corroborandi ratione. Lips. 1555.
Schenkius de virium robore & roborantium natura. Jen. 1624.
H. Heinrici de roborantibus. Hal. 1711.
Chr. St. Scheffel de satis medicamentor. roborantium. Gryph. 1745.
J. H. Obereid universa confortativa medendi methodus. Carolsr. 1767.
A. E. Buchner de roborantium differentiis in praxi bene attendendis. Hal. 1768.
Fr. J. Schröder de vitæ robore, nec non de medicamentis roborantibus. Marb. 1771.
Ph. A. Boehmer de quorumd. roborantium præstantia. Hal. 1772.
J. Fr. Gmelin an adstringentia & roborantia ferreo principio suam debent efficaciam? Tub. 1773.
J. Fr. Cartheuser de antisepticis. Fr. 1774.
Callisen & Anchersen de antiseptic. Hafn. 1775.
J. Fr. Jüngher Diss. de methodi robor. usu & abusu Hal. 1796.

a. Tonica levissime adstringentia.

Huc pertinent vegetabilia leviori tonica facultate donata, quorum principium adstringens muci-

lagine ut plurimum involutum est; quemadmodum flores rosarum, herba hederæ terrestris, plantaginis, pulmonariæ, saniculæ, scabiosæ, verbenæ, veronicæ; lichen islandicus, radix consolidæ, lapathi acuti, polygalæ vulgaris &c.

b. Tonica amara simplicia.

Hæc solo sapore amaro inter alias dotes prævalente se distinguunt, uti fel taurinum, carduus benedictus, centaurium minus, cichoreum, fumaria, nasturtium, trifolium fibrinum &c.

G. W. Wedel de amarorum natura & usu. Jen. 1692.

A. E. Buchner de plantarum amarar. insigni virtute medica. 1768.

c. Tonica amara adstringentia.

Hæcce amarori saporem quoque stipticum jungunt, gustantisque linguæ fibras crispant; quemadmodum cortex angusturæ, fraxini, hippocastani, salicis albæ, simarubæ, ulmi, quercus, cujus & glandes & gallæ, lignum quassiæ, radix gentianæ, rubiæ tinctorum etc.

d. Tonica proprie adstringentia.

Talia sunt, quæ austero potius quam amaro sapore prædita, vim stipticam & contrahentem exserunt, partium, quibus adplicantur irritabilitatem & sensibilitatem imminuunt; prouti acida minera-

lia, alumen, flores zinci, vitriolum zinci & martis, atque sales martiales reliqui; ex vegetabili regno fructus berberis, acaciæ, myrtilli, cydonii, cortex nucis juglandis, radix bistortæ, tormentillæ, succus catechu, hypocistidis, sanguis draconis, gummikino &c.

G. W. Wedel de austerorum & acerborum natura, usu & abusu. Jen. 1698.

M. van Goch de acido, ejusque usu & noxa in C. H. L. B. 1723.

S. Garland de medicam. adstringent. Edinb. 1763.

A. E. Buchner de destructa partium irritabilitate per adstrigent. usum. Hal. 1763.

J. Fr. Heyne de medicam. vegetabil. adstringent. Gœt. 1785.

Chr. P. Schacht de modo, quo agunt medicam. adstringent. Harderv. 1789.

F. Wannowski de principio plantar. adstringente. Reg. 1791.

J. G. Lucas Diss. de adstring. methodi usu & abusu. Hal. 1796.

c. Tonica amara aromatica.

Hæcce utroque principio, tum fixo adstringente, tum volatili aromatico donata sunt; sicuti flores chamomillæ, herba absinthii vulgaris & pontici, agrimoniæ, chamædrios, chamæpithios mari veri, marrubii albi, matricariæ, millefolii, sabinæ, salviæ; folia aurantiorum; turiones pini; radix calami aromatici, caryophillatæ, columbæ, galangæ, valerianæ; cortex peruvianus, cascarillæ, aurantiorum, citri; resinosa denique corpora & gummife-

rulacea nonnulla, uti myrrha, asa fætida, olibanum, styrax, elemi &c.

III. Solventia.

Dum circulus humorum in parte aliqua corporis languet, ob canalis obturationem aut obstructionem, sæpius a vasis propellentis aut absorbentis inertia, ac a fluidi lentore pendentem; ipsa excitantia & roborantia remedia, qua solventia consideranda erunt. Nec tamen omnis fluidis morbus, omnisque morbosa aut tenacitas, aut visciditas negari potest; in singularibus saltem partibus, ac a communi circulo jam fere exclusis. Propterea medicaminum solventium aut deobstruentium idea consistit non tantum in solidorum ad debitum motum exstimulatione, sed etiam in humorum debita pro motu fluiditate. Non ergo excluduntur ex hac nostra classe stimulantia, & roborantia, dum solvendi scopo inserviunt; peculiarius autem huc spectabunt, quæ solida irritando, fluidorum simul lentorem tollunt, ac motum circulatorium ideo expediunt. Qui humorum morbosas qualitates negant, totam hancce solventium classem ab adparatu medico excludunt; nos tamen cum Arnemanno minime eam exulatam volumus.

Indicantur solventia in omni infarctu ex inertia solidorum & morboso fluidorum lentore exorto; in illis præcipue casibus, ubi stimulantia vehementiora, aut & tonica stiptica conspicue nocent, uti in plerisque vasorum absorbentium morbis, in hydrope, arthritide, hæmorrhoide,

morbis pituitosis & lymphaticis &c. Nequaquam autem in omni secretione & absorptione languente & morbosa, sufficientia illa credimus.

Dividuntur in 1. Saponacea, 2. salina sive incidentia, 3. acria.

G. E. Hamberger de medicam. resolventibus. Jen. 1746.

J. Juncker de resolventibus, eorumq, agendi modo & usu. Hal. 1750.

Chr. D. Akermann de Resolventibus. Lips. 1751.

Reche de medicamentor dissolvent. diversis generibus Duisb. 1760.

H. Fr. Delius de resolutione noxia. Erl. 1765.

Fr. G. Hasenbalg de remedior. resolvent. actione & differentiis. Helmst. 1772.

Fr. C. Albert de resolutione. Hal. 1773.

S. C. Titius de virtute medicament. resolvent. recte dijudicanda. Vit. 1793.

J. A. Schnabel de medicamentor. resolvent. usu. Fr. 1793.

Th. F. Freytag de methodo resolvente. Hal. 1796.

1. Saponacea.

Saponacea remedia vasa penetrant, dum omnis generis fere humoribus libenter miscentur, atque alcalino suo principio solidas partes vel irritant, vel juxta recentiores cum fibra musculari & membranis observationes institutas, solidas illas partes ad vividiorem aliorum stimulorum impressionem disponunt. Hoc præcipue tenendum de sapone artificiali & vulgari, ast puro, quemadmodum hispanicus, venetus, hungaricus; minus vero de aliis saponaceis vulgo dictis, inter quæ radices

graminis, taraxaci, scorzoneræ, herba saponariæ, lactucæ, succus sempervivi, portulacæ & serum lactis &c.

2. Salina.

Aequo modo ac saponacea, ast vehementius fere humoribus junguntur salina, incidentia eatenus dicta, quatenus soluta, particulas humorum disjungunt, simulque vasorum parietes irritant. An vero in secundis viis magna eorum vis esse possit, merito dubitatur. Huc spectant non solum:

A. Alcalina, soda, & inter vegetabilia, cinis clavellatus & sal tartari, ast non caustica, & tam moderata dosi ingesta, ne corrodant; sed &

B. Neutra, tali quantitate exhibita, ne vomitum aut alviductionem causent; tum

a. Perfecta, uti arcanum duplicatum, sal polychrestus, tartarus vitriolatus, sal ammoniacus, digestivus sylvii, borax, terra foliata tartari &c.

b. Imperfecta metallica, antimonialia, mercurialia, martialia, tum & ex terrestribus terra ponderosa salita.

G. W. Wedel de salsorum natura, usu & abusu. Jen. 1702.

3. Acria.

Acria medicamina, principio sic dicto acri scatent, quod quidem volatile est, ast ab æthereo plurimum differt, nec semper odore percipitur,

& dum ab acidis & alcalinis immutari non potest, peculiaris & propriæ indolis esse videtur. Hæcce acria linguæ ardorem causant, & universim in cutem vehementer agunt; ideo & interne adsumta solidas partes notabiliter irritant, quin & majori dosi exhibita venenatos effectus exserunt, dum omnis vitalitas cum ipsis rebellat. Remotiores ergo etiam, quas vix adtingunt, partes concutiunt, venarum, lymphaticorumque vasorum absorbentem facultatem multum adaugent. Incitamento irritante agere dixerim, quemadmodum ætherea stimulante.

Huc spectant radices ari, bryoniæ, chelidonii majoris & minoris seu ficariæ, colchici, lobeliæ, scillæ, flores arnicæ, herba aconiti, digitalis purpureæ, flammulæ Jovis, lactucæ virosæ, pulsatillæ nigricantis, violæ tricoloris; stipites dulcamaræ, galbanum &c., pleraque uno verbo acria venena, purgantia & emetica, parca & cauta dosi exhibita, alterante ut ajunt scopo.

Deinde huc quoque spectant plantæ sic dictæ antiscorbuticæ, principio ammoniacali donatæ, uti allium, armoracia, beccabunga, cepa, cochlearia, nasturtium, sinapis &c.

G. W. Wedel de acrium natura, usu & abusu. Jen. 1694.

G. Stahl Diss. de alterantibus. Hal. 1703.

J. A. Wedel de medicam. alterant. natura, usu & abusu Jen. 1733.

J. E. Hebenstreit de fonte medicament. remotas vias purgantium. Lips. 1752.

J. A. Ph. Gesner sciagraphia de acrium agendi modo Erl. 1760.

Denique relativis viribus medicatis, mox adtenuantia, mox roborantia, stimulantia, nervina &c. pro data varia causa, solventem vim exserere possunt.

SECUNDA CLASSIS.

Pharmaca versus particularia aliqua organa specialius agentia, totum vero et reliquum corporis systema plus minus adficientia.

Omnia medicamina exserunt quidem vires suas in totum — si dicere liceat — corporis organici vivi systema, aut in dispersas per totum corpus facultates vitales, plus minusve; attamen nonnulla, peculiares partes corporis, certa organa & præcipue viscera specialius adfectare observantur, quasi peculiarem cum hisce familiaritatem & adfinitatem agnoscerent. Horum medicaminum actio difficilis quidem explicatu est illis, qui ad vires specificas recurrere nolunt; experimentalis autem eorum cognitio prudentem empiricum in adplicanda justa medela versus topicas adfectiones feliciter dirigit.

Juxta organorum, quæ adfectant, situm, anatomico fere ordine dividuntur in illa, quæ I. capitis II. thoracis atque III. abdominis diversas partes peculiarius adcrediuntur, ac denique IV. cutem & V. superficiem reliquam corporis vario modo adficiunt.

I. Pharmaca in capite specialiores vires exserentia.

Distinguimus hic illa, quæ proprie in cerebrum agunt; deinde quæ naribus adtracta sternutationem causant, ac denique quæ in ore salivæ & muci secretionem peculiarius promovent. Huc ergo spectabunt 1. narcotica, 2. ptarmica, 3. errhina, 4. apophlegmatisonta, 5. sialagoga.

1. Narcotica.

Quæ caput peculiarius petunt medicamina, illa a veteribus non inepte cephalica dicebantur; atque pro vario, quem in cerebro edunt effectu, mox sub nomine exhilarantium, dum menti quasi oblectamentum conciliarent; mox sub nomine antispasticorum, dum spasticos motus componerent; mox sub nomine anodynorum, paregoricorum, sopientium, sedantium, dum dolores lenirent & molestas sensationes auferrent &c. occurrebant. Sed liquet sponte, consimiles medicaminum vires ut plurimum relativas esse, neque unum idemque medicamen, spasmis, doloribus &c. a diversis & sæpe contrariis causis oriundis, mederi semper posse. Absolutas tamen & vix non easdem in diversissimis individuis vires exserunt pharmaca sic dicta narcotica, hypnotica sive somnifera, quæ cerebri organon ita adficiunt, ut prius vertiginem aliquam & temulentiam inducant, sensuum deinde tum in-

ternorum tum externorum facultates imminuant, atque somnolentiam denique causent. Hæc medicamina ergo in cerebrum quidem directe & absque omni dubio agunt, attamen & totam vitalitatem reliquam conspicue adficiunt; & quidem per gradus, alteratis animalibus & naturalibus viribus, ipsam vitalem adgrediuntur. Vires suas proprie in ventriculo, & ad reliquas partes unice per consensum exserunt. An vero stimulo vehementi agunt, cerebrique energiam extollunt, donec indirectissimam debilitatem inducant? An autem alio occulto & proprio principio? Priori saltem opinioni Humboldtiana experimenta favent, dum caro penitus mortua ex opii stimulo denuo reviviscat.

Concludimus inde, narcotica plarmaca directe quidem in cerebrum, qua virium nervosarum fontem agere; somniferam vero eorum virtutem utplurimum relativam esse, dum ipsissima hæc remedia, alia dosi aliaque sub obportunitate exhibita, vires etiam diversas, mox & ex obposito exhilarantes possideant.

Quare raro indicantur qua somnifera & sopientia, nisi in morbis ex exorbitante systematis nervosi sensibilitate provenientibus; sæpius vero refractiori dosi, qua stimuli in nervos languentes specialius agentes, scopo vero — ut ajunt — antispastico exhibentur.

Obtinentur unice ex regno vegetabili, & quidem ex plantis venenatis, aut saltem suspectis; quales bella donna, cicuta, crocus, hyosciamus, nicotiana, stramonium, viola, & papaver, quod opium largitur.

M. Sobernheim de cauto sedativor. usu Hal. 1724.
G. E. Hamberger de paregoricis. Jen. 1747.
— — — — de anodynis ibid.
— — — — de narcoticis Jen. 1748.
Chr. A. Haertel Diss. de stimulantium & excitantium effectu sedativo. Arg. 1749.
F. C. Juncker de præparatione ac dosi anodynorum. Hal. 1760.
J. P. Eberhard de actione narcoticor. Hal. 1762.
J. Fr. Cartheuser de inebriantium effectib. Frf. 1763.

2. Ptarmica.

Ptarmica, sternutatoria, nasalia, sunt pharmaca, quæ narium membranis & nervis immediate adplicata, stimulo suo sternutationem causant. Sunt ergo potius externa medicamina; sed numero fere infinita, nam & solus mechanicus stimulusqui vis, hosce effectus edere valet.

Vix indicantur alio scopo, quam ut vel concussionem corporis efficiant, vel ad irritamentorum summam aliquid contribuant.

Specialius huc spectant majorana, marum verum, nicotiana, saccharum, vitriolum album; & ad fortiora, pulvis hellebori albi & euphorbii, calomel &c.

G. B. Metzger de medicam. sternutatoriis Tub. 1678.
R. W. Crause de natura & usu sternutator. Jen. 1696.
J. Vesti de sternutator. usu & abusu. Erf. 1696.

Fr. Hoffmann de pulverum sternutat. usu & abusu. Hal. 1700.

J. H. Schulze de Elleborismis veterum Hal. 1717.

Chr. J. Lange de sternutatoriorum usu & abusu. Lips.

3. Errhina.

Non absimili modo operantur, quæ naribus topice adplicata, mucum atque pituitam proliciunt, errhina dicta; eadem fere cum prioribus, & nonnisi gradu differentia; utpote fibras quidem irritantia, sed non convellentia.

4. Apophlegmatisonta.

Quæ vero in ore voluta, majorem quantitatem tum muci, tum & salivæ proliciunt, apophlegmatisantia vocantur. Huc spectant tum dura, mechanice irritantia, tum & stimulantia corpora, uti grana mastichis, radix pyrethri &c. diu ore retenta & masticata. Peculiari indicationi hisce remediis vix satis fieri potest, nisi topicam fors partium inertiam exstimulare scopus sit.

J. G. Schneider de Apophlegmatizantium usu &c. Hal. 1757.

5. Sialagoga.

Quæ autem denique ipsius salivæ secretionem promovent, & specialius adaugent, sialagoga aut salivantia dicuntur; evacuante sua virtute

nullum omnino respectum merentia. Hisce fere unice adnumeranda veniunt mercurialia præparata.

A. van Loon de ptyalismo artificiali. L. B. 1720.

J. Fr. Schröder de medicam. salivantibus eorumq. agendi modo. Hal. 1743.

J. Ph. Borelli de salivatione artificiali Marb. 1752.

J. Gracuger de modo excitandi ptyalisum. Edimb. 1753.

II. Pharmaca in thoracem

Specialiores vires exserentia.

Specifica pectoralia non dantur. Quæ enim versus thoracem diriguntur medicamentosæ vires, non alio modo, quam totius systematis affectione eo perveniunt; quum peculiare commercium inter pectus & primas vias non observetur. Deficientibus ergo absolutis medicaminum in thoracem viribus, relativæ eorum pectorales vires pro data varia causa multum diversæ erunt.

Dividebantur quondam in 1. bechica, & 2. expectorantia.

Chr. J Lange de pectoris remediis.

1. Bechica.

Bechicis, quæ tussim leniunt, dulcia utplurimum medicamina, daucum, liquiritiam, saccharum, siliquas dulces, & mucilaginosa, quin & sopientia inepte adnumerarunt. Diversa enim tussis origo, diversam medelam reposcet.

J. Ph. Eysel de medicam. bechicis. Frf. 1715.

2. Expectorantia.

Atque idem fere intelligendum de expectorantibus, quæ sputorum excretionem facilitant; mox irritando, quemadmodum hyssopus, pulegium, senega, gummi ammoniacum, mox incidendo simul & muci consistentiam pro faciliori excretione disponendo, uti scillitica, stibiata &c.

H. Ludolff de usu & abusu medicam. expectorant. Erf. 1723.

A. E. Buchner de incongruo expectorantium usu. Hal. 1756.

III. Pharmaca in abdomen.

Specialiores vires exserentia.

Hæc in varia abdominis organa peculiaritis agunt; tum 1. in primas vias & 2. in urinarias, tum 3. in partes sexuales.

1. Pharmaca in primas vias agentia.

Huc spectant, quæ A. vel tubum alimentarem expurgant & evacuant, vel B. contenta ibi heterogenea morbifica immutant & in aliam naturam invertunt, vel C. tonum tunicarum adaugent.

A. Evacuantia.

Evacuantia medicamina proprie dicenda sunt, quæ contenta in primis viis, tum sano in statu eo pertinentia, tum morbifica heterogenea per os aut per anum eliminant. Dum autem hoc absque stimulo speciali in ventriculum & intestina directo fieri nequit, qui & a procul adliciat ingentem fluidorum copiam ad vitam & sanitatem necessariorum, eamque simul eliminet; hinc virium debilitatio ab incitantium horum humorum jactura pendens, cum evacuatione in aliqua semper ratione est.

Indicantur ergo 1. directo modo, ubi heterogenei eliminandi scopus; indirecto modo, ubi detractionis aut debilitationis finis aliquis adest.

Contraindicantur propterea ab omni debilitate corporis, quæ urgentem heterogenei evacuandi indicationem superat.

Dividuntur in a. emetica & b. cathartica. Liceat hisce adnumerare, etsi minus apte, c. carminativa & d. anthelmintica.

a. Emetica.

Quæ convulsivam contentorum ventriculi per os expulsionem causant, emetica aut vomitoria remedia dicuntur. Multa sub hac actione etiam ex tenui intestino regurgitant; unde verus emeticorum usus clarius intelligitur. Nec unice expulsionem hancce, sed etiam nauseam, sudores &

concussiones qua vomitoriorum effectum commemorare decet.

Indicantur emetica:

1. Ubi heterogenea e ventriculo expellendi;

2. Ubi corpus concutiendi, viscerum simul, aut lymphatici systematis languidas secretiones aut absorptiones promovendi;

3. Ubi spasmos per alienas impressiones solvendi;

4. Ubi ventriculum ad meliores medicaminum actiones percipiendas disponendi scopus est.

Contraindicantur a debilitate vitali, aut & alia non spuria, a senio exhausto & rigido, ab hernia, graviditate, plethora & proclivitate in hæmmorrhagias. Inflammatio quoque vera & sthenicus status emeticorum usum certo vetant; nam superat sæpe incitamentum emetici debilitatem ex evacuatione oriundam.

Dividuntur:

a. In illa, quæ copia & mole ventriculum convellunt, uti ipsa aquosa tepida fatua & oleosa copiose sumta;

b. In talia, quæ specifico vere & venenato certe stimulo ventriculum irritant, quemadmodum venena quidem omnia, & purgantia fortiora sive drastica; specialius autem inter officinalia tartarus emeticus, ipecacuanha atque vitriolum album.

In refracta dosi, qua vomitum non cient emetica, scopo nauseante, alterante, irritante, sudores movente adhibentur.

G. Moebii Emetologia. Jen. 1649.
G. W. Wedel Diss. de Vomitoriis rite adhibendis. Jen. 1676.
— — — — de Vomitoriis. Jen. 1704.
A. Brake de Vomitor. mediis. L. B. 1692.
Bruno Diss. de vomitionis commodo. Alt. 1700.
J. S. Henninger de Vomitoriis. Arg. 1704.
N. Lehenherr Diss. de Vomitoriis. Jen. 1704.
Pinkemann Diss. de Emeticis. Reg. 1706.
Dethardingh scrutinium operationis Vomitorior. Rost. 1713.
J. Fr. de Pré Diss. de Vomitorior. usu & abusu. Erf. 1719.
L. B. Beringer Diss. de Emeticis. Herbip. 1723.
Fr. Hoffmann Observ. de cauto Vomitor. usu. Hal. 1725.
Br. Meibomius Diss. de Vomitoriis.
S. P. Hilscher de Vomitorior. natura usu & abusu. Jen. 1732.
A. O. Gölike Diss. de Emeticor. usu & abusu. Fr. 1734.
A. E. Buchner Diss. de Emeticis. Hal. 1746.
J. E. Geisler animadvers. de usu Vomitor. Lips. 1746.
C. S. Scheffel de fatis medicam. in genere, & in specie Vomitor. Gryph. 1747.
G. E. Hamberger de Emeticor. agendi modo & usu. Jen. 1749.
N. Rosen de Emesi. Ups. 1754.
J. G. Röderer Paralip. de Vomitor. usu. Gœt. 1758.
J. W. Neumann neglectus Emeticor. vindicatus. Prag. 1781. Germ. Schwer. 1786.
Scipio Diss. de vomitus excitandi indicationibus. Jen. 1782.
Kragl Diss. de methodo emetica. Vien. 1784.
De Obercamp Diss. de Vomitoriis. Heidelb. 1786.

S. B. Pearson de Vomitoriis. Edimb. 1790.

A. Dorn Abhandl. über die brecherregende Methode und die vorzüglichsten Brechmittel &c. Bamb. 1795.

b. Cathartica.

Cathartica aut purgantia dicuntur, quæ alvum fluidiorem atque frequentiorem reddunt; contenta ventriculi & intestinorum per anum eliminant. Eorum actio fit proprio & speciali — an venenato? — stimulo, quo intestina irritantur, motus intestinorum peristalticus adaugetur, secretiones intestinales promoventur, atque humores a dissitis locis huc invitantur, nec non alii secundarii effectus multiplices producuntur. Ob irritamentum scilicet in intestinis causatum, morbificæ in aliis partibus impressiones enervantur (revulsio); ob tunicarum continuitatem sudatiunculæ in cute causantur; ob humorum necessario incitantium copiosam detractionem, debilitas inducitur; ob depletionem, in dissitis etiam organis congestiones levantur & absorptio promovetur (derivatio) &c.

Indicantur:

1. In omni congestione stercorea, ex inertia tubi intestinalis oriunda.

2. In omni heterogeneo saburrali in primis viis contento, per vomitum haud eliminando.

3. In scopo detersionis parietum intestinali-

um, pro meliori eorum functione & medicaminum vividiori actione.

4. In statu sthenico, ad implendam debilitantium potentiarum summam, & ad refrigerium inducendum.

5. In aliorum organorum, præcipue capitis morbosa & pertinaci obsessione, ad revulsionem & derivationem, ut ajunt, præstandam.

Contraindicantur: ab inflammatione partiali intestinorum & ventriculi; a debilitate non solum vitali, sed etiam ab omni collisione inter virium sustentationem aut exaltationem, & heterogeneum e primis viis simul eliminandum oriunda. Nocent uno verbo debilibus, quamprimum debilitas e humorum detractione causata, medicaminis purgantis stimulantem vim superat.

Juxta diversum stimuli sui gradum in leniora sive antiphlogistica proprieque purgantia, atque in fortiora sive drastica dividuntur.

a. Purgantia leniora.

Hæc plena dosi exhibita, laxantia, vel per epicrasin data, eccoprotica, alvum absque vehementia movent, quia leni stimulo agunt; propterea & antiphlogisticorum purgantium nomine veniunt. Spectant huc:

Salina media, cremor tartari, tartarus tartarisatus, sal seignetti, arcanum duplicatum, sal polychrestus, tartarus vitriolatus, sal mirabilis Glauberi, sal amarus, atque hocce imbutæ aquæ

minerales medicatæ, uti aquæ sedlicenses, seidschützenses, tum & aliæ salinæ, carolinæ, egranæ &c. Præterea

Ex vegetabilibus pruna, tamarindi, cassia fistula, manna, quodammodo ipsum rheum & senna.

b. Drastica purgantia.

Drastica purgantia acria, cum molestia & vehementia alvum movent, tormina & spasmos intestinorum causant, & ob stimulum magis incitantem, raro agunt, quin & nauseam simul aut & vomitum causent. Diutius fortiusque adplicata, communi lege peculiarem morbosam laxitatem intestinis, indirectam scilicet debilitatem relinquunt; hacque inducta flatulentiam, alvum tardam, adfectionesque hæmmorrhoidales excitant. Imo & moderatiorem eorum usum alvus tarda plerumque sequitur; quod etiam de rheo valet, & de senna.

Adnumerantur hisce drasticis; aloe, agaricus albus, bryonia, colocynthis, cucumis asininus, cyclamen, gratiola, gummi guttæ, helleborus niger, jalapa, ricinus, scammoneum, spina cervina. Multa horum solo adspectu nonnullos movent, odore alios. Etiam ex mineralibus, antimonii & cupri sales huc referri possunt.

Mesue de purgantib.

O. Brunsfels theses de artificio suppressam alvum ciendi. Arg. 1532.

M. Villanovani vera purgandi methodus. Par. 1540.

A. Gazius quo medicamentorum genere purgationes fieri debeant. Bas. 1541.
L. Jachini Comment. in Galenum de purp. medic. Lugd. 1542.
C. Gesner enumeratio medicam. purgant. Bas. 1546.
G. Puteanus de medicamentor. purgant. facultatib. Lugd. 1552.
H. Bonacossus de medicam. purgat. Bon. 1553.
A. Musa Brassavolus de medicam. tam simplic. quam compos. catharticis. Lugd. 1556.
G. Fallopius de simplic. medicam. purg. Ven. 1566.
F. Mena liber de purgant. medicinis. Antw. 1568.
J. P. Ingrassias de purgat. per medicam. Ven. 1568.
Viscerus de medicamentor. purgant. viribus. Tub. 1581.
P. J. Crassi de purgativ. medicamentis quæstiones. Bas. 1581.
J. Zecchius tr. de purgatione. Bon. 1586.
J. Bravi de ratione curandi per purgantis exhibition. Salm. 1588.
J. Grammann tr. de pharmaco purgante. Erf. 1593.
Th. Erastus de purgant. medicam. Tigur. 1595.
Jostrerius admirationes medicæ de purgatione incongrua. Ven. 1596.
A. Lonicerus de purgationibus. Fr. 1596.
Scherbius de purgationib. in genere. Alt. 1598.
Armbruster disquis. circa modum, quo purgant medicam. cathartica. Stutg. 1599.
Agenterius tr. de purg. medicam.
Blofs de medicamentor. purg. virtutib. Tub. 1601.
Koppius de purgatione. Bas. 1602.
Stupan Diss. de purgat. & purgant. medicam. Bas. 1603.

P. Dornkrell de purgatione. Hamb. 1604.
Sennertus de purgat. Vit. 1604.
— — — de morbi tempore purgat. apto Ibid.
— — — de purgat. quantitate & loco, Ibid.
Liddel Diss. de ratione purgandi, Helmst. 1605.
Gr. Horst. de purgat. Vit. 1607.
Salandi de purgat. Ve . 1607.
Petræus de purgat. Marp. 1614.
J. Fabri de purgat. C. H. Tub. 1615.
N. Curtii libellus de medicam. lenient. & purgant. Giess. 1615.
Hartung de simplic. purgant. facultatibus. Lips. 1618.
J. Kolner de purgationis secundum influentiam astrorum recta administratione. Gr. 1618.
M. Sebiz de purgat. Diss. XIII. Arg. 1620.
Nössler de purgat. Alt. 1628.
J. Freytag de certa purgandi methodo. Fr. 1630.
L. Gardinii medicam. purgant. Duac. 1631.
H. Paschasy Purgatorium medicum. Hafn. 1631.
Pelshofer de purgatione. Vit. 1632.
Cl. Tardy Hippocratica purgandi methodus. Par. 1636.
Rolfink de purgat. Jen. 1638.
Heunius de purgantibus. Gr. 1643.
Macarius de purgatione. Jen. 1644.
H. Couring de purgatione. Helmst. 1652.
Chicot de purgandi ratione. Par. 1656.
Bauhinus de necessario & perutili purgationis præsidio. Bas. 1662.
Ph. Grüling de purgatione, Lips. 1668.
Hammerer Cathartologia. Arg. 1669.
De Persyn Diss. de purgat. Vit. 1670.
Bruno de natura purgant. nocua. Alt. 1672.
— — de sanitate purgat. non indiga. Alt. 1672.
— — de incongruo purgant. tempore Alt. 1699.

G. W. Wedel de purgantibus recte adhibend. Jen. 1675.
— — — — de purgat. mechanica. Jen. 1702.
— — — — de elective purgantibus. Jen. 1720.
J. L. Hannemann Aetiologia facultat. purgatricis. Hamb. 1677.
J. N. Pechlin de purgant. medicam. facultate L. B. 1678.
J. Thile de actu purgatorio. Vit. 1683.
Vesti de purgatione. Erf. 1685.
J. Müller de purgatione. Marp. 1686.
Chr. Kursnerius de purgantium e foro medico proscriptione. Marb. 1687.
A. Petermann de medicament. alvum laxantibus. Lips. 1792.
G. Lemmers de purgantibus. L. B. 1693.
O. Schwarz de medicament. purgant. & eorum operationibus. Bas. 1696.
Fr. Hoffmann de purgant. specificis Hal. 1696.
— — — — de purgant. fortiorib. e praxi ejiciendis. Hal. 1703.
— — — — de purgant. selectis Hal. 1704.
Reddewitz de vero catharticor. usu. L. B. 1697.
Fr. Sanchez liber de purgat.
A. Vater Progr. de medicamentor. inprimis purgant. diversa operatione. Vit.
Eya an æstate purgat.? Ultraj. 1702.
Henninger Diss. de purgatione. Arg. 1709.
J. Papius de facultate medicam. purgant. Bas. 1710.
C. van Gysen de purgantibus. L. B. 1710.
Deprè de caute dandis purgant. in diebus canicularibus. Erf. 1714.
J. Montecelli opinio de purgantibus. Ven. 1716.
J. B. Spies de purgatione per alvum. Helmst. 1721.
Ph. J. Düttel de virulenta purgant. indole. A. V. 1722.

J. A. Fischer de medicament. purgant. natura & usu. Erf. 1728.

Herliz de electione purgant. secundum indolem morbi. Gœt. 1737.

H. P. Juch de cauto & incauto usu purgant. Erf. 1738.

Ph. Douw & Gr. van den Lemmer de purgantibus L. B. 1739.

M. Dickson de purg. Edinb. 1740.

J. Fr. Cartheuser de catharticis quibusd. selectioribus. Fr. 1742.

J. C. Laubmayer Diss. de modo operandi purgant. Hal. 1743.

C. S. Scheffel de fatis medicament. in genere, & in specie purgant. Gryph. 1747.

Baier Diss. de abusu purgant. Alt. 1749.

G. E. Hamberger de purgantibus. Jen. 1749.

Langguth de purgatione frequent. veneno magis, quam panacea. Vit. 1751.

G. H. Kannegiesser de remed. purgant. Kil. 1753.

Bockmann de dejectione corroborante, & de nexu cutis cum intestinis. Gryph. 1755.

S. G. Schröter de purgantium præsertim cuti applicatorum agendi modo. Hal. 1757.

J. G. de Pempelfurt de diversa purgant. medicam. actione. Duis. 1760.

Sauvages Diss. de catharticis. Monsp. 1762.

C. Linnæi purgantia indigena. Ups. 1766. 1775.

A. Westphahl de limitandis laudibus purgant. Gr. 1768.

A. Duncan de alvi purgant. natura & abusu. Edinb. 1770.

J. H. Liebhardt de generali catharticorum notione & usu. Erl. 1796.

Fr. F. Gehring Diss. de methodi laxantis & purgantis usu & abusu. Hal. 1796.

J. N. Seignette Diss. de medicament. laxantium abusu in gravidit. & puerperio. Gœt. 1801.

c. Carminativa.

Carminativa, carminantia, physagoga medicamina vocantur, quæ flatulentiam levant, aërem elasticum intestina expandentem sursum vel deorsum eliminando. Non uno modo operantur, propterea specifica non sunt; nam expansionis & flatuum in intestinis non una est ratio. Quæ enim venit ex intestinorum laxitate flatulentia, tonicis, amaris, stomachicis, visceralibus sic dictis sanatur. Quæ venit ex spastica intestinorum strictura, antispasticis fugatur; atque sub frequentissima spasmorum causa, debilitate scilicet, stimulantibus remediis & nervinis, aniso, cumino, chamomilla, mentha & similibus. Quæ denique venit ex sordium adcumulatione, lenibus purgantibus aufertur &c.

R. W. Krause de Carminativis. Jen. 1699.
J. Fr. Cartheuser de Carminantibus. Fr. 1753.
J. A. Juncker de cauto Carminant. usu. Hal. 1760.
J. G. Leonhardi de medicamentis flatum ventris absorbentibus. Vit. 1784.
J. G. Schröder Diss. de methodi physagogæ adminiculis. Hal. 1800.

d. Anthelmintica.

Anthelmintica sive antiverminosa sunt, quæ vermes ventriculi & intestinorum tum

necant, tum & eliminant, quo in posteriori casu unice evacuantibus adnumeranda.

Dum vermes necant, eorum vitalitati contraria esse debent, & omni quoque vitalitati animali sæpe contraria sunt. Hocce intuitu ad venenorum classem spectant; unde & intelligitur, hominum, infantumque præcipue sanitati & vitæ facilius periculosa evadere posse, quam tenacissimæ horum insectorum vitæ, quæ & tunc adhuc subsistit, ubi vermes in frusta discissi sunt.

Elucet ex eo, quantis sub cautelis eorum usus fieri possit, & quam difficile nonnunquam sit vermes necare, quin aliud verminosis ægris damnum inferatur. Præcipue anthelmintica a majori irritabilitatis & debilitatis gradu contraindicantur, quoniam summe debilibus & heterogenea nociva e corpore eliminare sæpe non licet.

Adnumerantur anthelminticis non solum drastica omnia, superius enumerata, dum veneno suo vermes & necant, & e corpore expellunt; sed etiam aliqua huc spectant, purgante vi minus donata, uti allium, asa fætida, alcali fixum, amygdalæ amaræ *), aqua calcis, semina cinæ sive santonici, dictamnus albus, filix mas, cortex Geoffreæ, hel-

---

*) Non pressum ex amygdalis oleum, quod dulce est, sed ex muco earum destillatione adquisitum, insecta omnia momentanee, & etiam lumbricos necat; avibus omnibus infensissimum, sed & humanæ vitæ, præsertim in tenera ætate suspectum.

mintochorton, mercurius in omni forma, nuces juglandes immaturæ, petroleum, saturnina, semina sabadillæ, spigelia anthelmia, stanni limatura, tanacetum, terebinthinacea, valeriana, vitriolum martis &c.; amarissima & nauseosa pleraque.

Sub certo respectu roborantia laxum intestinorum tubum, atque mucum incidentia acria, lymphamque & mucum adtenuantia, optima anthelmintica sunt.

Fr. Hoffmann de anthelminticis. Hal. 1698.
J. B. Gastaldi an dentur varia Anthelmint. quo pacto agant singula &c. Aven. 1715.
C. G. Stenzel de vermium venenis. Vit. 1741.
J. Ch. Lischwitz de plantis anthelminticis. Kil. 1742.
A. E. Buchner de Anthelminticor. usu & operandi modo. Hal. 1748.
Fr. X. Jugowicz de Anthelmint. Vien. 1770.
F. A. Nicolai de Anthelmint. Jen. 1775.
Abraham & Meyer cautelæ Anthelminticor. Gœt. 1783.
J. Schäffer Diss. sistens Anthelmintica regni vegetabilis Alt. 1784.

B. Immutantia.

Vera quidem chemica contentorum ventriculi & intestinorum acrimonia esse vix potest, etsi hoc in primo animali laboratorio, ventriculo scilicet & intestinis facilius concipiendum foret, quam in secundis instantiis; deglutita tamen varia chemice acria lædere possunt organa hæc, antequam vere immutentur in natura sua, aut eliminentur, aut

vitam exstinguant. Imo in infantibus lactantibus diu primarum viarum acidum subsistere potest, quod halitus oris & fæcum fætor ad sensum demonstrant. Dantur ergo aliquo intuitu talia remedia, quæ in prima animalium culina reagente modo, naturam contentorum invertunt, proinde immutantia nominanda. Spectant huc & antidota contra venena adsumta, quæ mox obpositis viribus chemicam veneni indolem immutant, quemadmodum alcalina & absorbentia acidum acorem; mox vero obpositam solum impressionem organis inferunt, prouti acetum post opium adsumtum. Immutantium ergo vires in primis viis penitus relativæ sunt; atque pro dato diverso casu diversissima esse possunt, e chemicis fundamentis plerumque eruenda. Bolus, creta, cancrorum lapides, ostracodermata, magnesiæ, unico tali intuitu fere, qua absorbentia scilicet, in officinis servantur.

C. Tonum augentia.

Denique autem nonnulla dantur remedia, quæ ipsum ventriculi & intestinorum tonum immutant & firmant, speciali fere stimulo, stomacho & intestinis summe grato, propterea stomachica & visceralia dicta; uti absinthium, calamus aromaticus, vinum &c. sed universim amara, aromatica & spirituosa huc spectant.

M. Sybling thesaur. de medicam. stomachicis. Bas. 1580.

P. Ammanus de stomachicis. Lips. 1689.
J. S. Henninger de remediis stomach. Arg. 1704.
A. Normann de specificis quibusd. in imbecillitate ventriculi Ultr. 1707.
Chr. J. Lange de remediis stomachicis.
H. F. Delius de Visceralibus. Erl. 1773.

2. Pharmaca in urinarias vias agentia

In urinarias vias varia medicamina evidenti modo agunt, ut secretionem urinæ mox promoveant, mox & calculorum ibi latentium dissolutionem causare visa fuerint.

Inde ideæ & nomina A. Diureticorum & B. Lithontripticorum exorta sunt.

A. Diuretica.

Diuretica sunt, quæ lotii secretionem & excretionem augent. Actio eorum (exceptis cantharidibus, quæ absolute & semper in vias urinarias agunt) non specifica est, neque una ubique & eadem. Quidquid enim incitationem in toto systemate adauget, quidquid circulum humorum & una cum illo secretiones promovet, quidquid laticem aquosum humorum multiplicat, quidquid rigorem aut spasmum solvit secernentium in renibus vasorum &c. hoc diureticam facultatem obtinere potest. Huc ergo præcipue pertinent:

a. Aquosa, præcipue tepida, acidula (præ-

aliis autem tartaroso acido imprægnata), magna copia ingesta, & decocta fatua vegetabilium, uti asparagi, bardanæ, equiseti, ononidis, sarsaparillæ, urticæ &c. aquæ soteriæ pleræque & serum lactis.

b. Stimulantia, vinosa, spirituosa, principio æthereo donata, præ aliis apium, fœniculum, juniperus, petroselinum, terebinthina; acida mineralia dulcificata; ex acribus scilla & colchicum, nec non salia alcalina & calx.

Dum diuretica absolutas vires non exserunt, eorum indicationes certe difficulter etiam adsignari possunt. Eatenus utplurimum prosunt, quatenus evacuato lotio absorptionem aliorum humorum in viam circulatoriam promovent.

G. W. Wedel de Diureticis. Jen. 1667.
J. Garbers de Diureticis. L. B. 1693.
G. D. Coschwitz de diureseos provocatione utili & noxia. Hal. 1724.
J. Chr. Lischwitz de plantis diureticis. Kil. 1730.
— — — — — cautelæ circa admistrat. diureticor. ibid. 1739.
A. E. Buchner de Diureticis, eorum agendi modo & usu. Hal. 1745.
— — — — de Diuretic. salutari ac noxio usu. Hal. 1749.
— — — — de intempestivo Diuret. usu Hal. 1752.
J. H. Kniphof de Diureticis specificis. Erf. 1751.
J. van Heusde de Diuret. usu & abusu L. B. 1774.
E. Bose de cauto Diuret. usu Lips. 1782.
P. H. de Körber Diss. de medicament. urinam moventibus ex classe sedantium. Alt. 1797.

B. Lithontriptica.

Ad vesicæ aut renum calculum comminuendum vel dissolvendum sufficientibus viribus instructa remedia, lithontriptica dicuntur. Dubitabitur interim merito, an remediis internis calculus dissolvi queat. Laudant empirici uvam ursi & calomel; ab alcalinis autem, calce & sapone, præcipue ab aqua mephitica alcalina, in decomponendis calculi principiis plus sperandum est.

Causinot an calculus in rene aut vesica solvi potest Par. 1640.
J. P. Kind de remediis calcul. diffring. L. B. 1724.
J. H. Schulze an dentur remedia, quæ calcul. in vesica comminuant? Hal. 1734.
J. Chr. Pohl medicam. lithontriptica anglicana revisa. Reg. 1741.
P. Bourgeois de calculo & remediis cum solventibus. L. B. 1744.
Cohen, Meyer, Calmann de calculo & lithontripticis. Gœt. 1765.
J. Fr. Hoffinger selectus simplex medicam. lithontr. Vien. 1768.
F. C. Stipsies de natura & remediis calculi. Tyrn. 1774.
J. L. A. Müller lithontripticorum examen. Hal. 1797.

3. Pharmaca in partes sexuales agentia.

A. Aphrodisiaca.

Aphrodisiaca, quæ venerem incendunt, specifica non dantur, sed varia in variis casibus

esse possunt. Neque indicatio talis facile in morbis exoritur. Si quæ latet specifica & absoluta ad partes sexuales actio in medicamine aliquo, unice in cantharidibus fors quærenda erit, quæ, dum ad vias urinarias peculiari modo agunt, turgescentiam insimul sexualium partium causant.

C. G. Stenzel de cantharidibus & similibus, quæ vocantur Aphrodisiaca. Vit. 1747.

B. Uterina.

Emmenagoga remedia, quæ menstruas purgationes urgent; aristolochica quæ lochialem sanguinem pellunt; & ecbolica, quæ partum aut secundinas promovent, in uterum quidem vim exserere deberent; sed specialia non dantur, nam pro varia subpressionis causa, mox relaxantia, mox roborantia, mox stimulantia aut nervina uteri actiones expediunt. Emmenagoga, ab ipsa morbosa mensium retentione, qua talia, vix unquam indicantur; contraindicantur vero ab omni graviditatis suspicione. Ecbolica ex pharmaceutico adparatu non facile petenda veniunt.

A. D. Grundmann de medicam. uterinis. L. B. 1693.

J. J. Hering de medicam. uterinis. Lugd. 1711.

J. Juncker de Emmenagogis, eor. operandi modo & usu Hal. 1747.

J. B. Firbas de medicam. emmenagogis. Vien. 1759.

Toell Emmenologia. Gœt. 1777.

IV. Pharmaca in cutem et corporis superficiem agentia.

Diaphoretica et sudorifera.

Dum movent insensibilem cutaneam transspirationem, diaphoretica sive diapnoica, dum autem ipsum sudorem cient, sudorifera vocantur medicamina. Solo fere intensionis gradu differunt.

A miasmate morbifico per cutem expellendo, a transspirio subpresso, atque a sudore spontaneo levante, critico, indicata nonnullis visa sunt; minime autem recentioribus videntur. Nec, qua talia, indicationi cuidam facile satisfaciunt, viribusque primariis, utplurimum aliis agunt, quarum secundarius effectus in sudore producto consistit. Specifica ergo non dantur; sed quæ transpirationem & sudores movent, vel relaxando, vel irritando agunt.

1. Diaphoretica relaxantia.

Spectant huc antiphlogistica dicta, quæ constrictionem vasorum cutaneorum a nimis vivida reactione oriundam solvunt; quemadmodum aquosa tepida, theata, decocta similia, potusque tepidi omnes haud stimulantes, præcipue acido quodam vegetabili, aceto aut oxymelle imbuti.

2. Diaphoretica irritantia.

Talia vi sua incitante, circulum humorum augente, secretionum vigorem promovente &c. actionem suam absolvunt. Suntque vel

A. Subemetica sive alterantia, uti antimonialia, ipecacuanha in refracta dosi, aconitum, dulcamara &c.

B. Stimulantia, prouti ammoniacalia, empyreumatica, camphora, opium, quajacum, sambucus, sassafras, sulphur &c. Calor balneorum, lecti & atmosphæræ ad hancce quoque classem spectant; medicaminumque horum actionem multum promovet.

G. Rolfinck de Diaphoreticor. usu Jen. 1650.
J. Michaelis de sudoriferis. Lugd. 1661.
Chr. Vater de medicam. diaphoret. Vit. 1683.
J. H. Herlin de sudore & sudoriferis. Lips. 1693.
J. H. Slevogt de sudoriferis. Jen. 1702.
P. F. Eysel de sudorif. Erf. 1712.
H. G. Lyrer de sudorif. usu & abusu. L. B. 1718.
J. Chr. Lischwitz de plantis diaphoreticis. Kil. 1734.
J. Chr. Henneus de modo agendi sudoriferorum. Gœt. 1738.
W. G. Hesse de medicam. diaphoret. eorumque agendi modo. Erf. 1743.
G. H. Kannegiesser de sudoriferor. abusu. Kil. 1744.
H. P. Juch de Diaphoreticor. modo agendi Erf. 1746.
J. Reusch de modo agendi medicam. diaphoretic. Marb. 1752.
C. F. Rehfeld de modo agendi remedior. diaphor. Gr. 1762.

H. G. Pedell Diss. de diaphoret. methodo. Hal. 1797.

V. Pharmaca in partes alias externas agentia, et externe adplicari solita.

J. G. Deggeler Abh. von äufserl. Arzneyen. Herb. 1752.

G. F. Gutermann von äufserlich. Aryneyen. Augsp. 1761. II. Th.

J. F. Henkel von der Wirkung der äufserl. Arzn. Berl. 1761.

J. G. Morgenbesser Anleit. zur Kenntnifs der Wirkung äufserl. Arzneyen. Bresl. 1771.

Pleraque quidem, si non omnia supradictorum medicaminum externe adplicata, in clismate exhibita, aut cuti illita eosdem fere medicatos effectus edunt, ac per os adsumta; nonnulla tamen eo scopo adhibentur externe, ut in superficie corporis vires suas exerceant, atque hæcce proprie adparatum pharmaceutico chirurgicum constituunt, & vulgari sermone pharmaca externa sive chirurgica audiunt. Quorum actio ex supradictis (in Cap. de virib. medicam.) quoque eruitur. Suntque 1. Emollientia, 2. Adstringentia, 3. Anodyna, 4. Irritantia, 5. Depilatoria, 6. Antiphtyriaca.

1. Emollientia.

Talia sunt, quæ fibram strictam laxant, stimuloque carent; prouti hoc superius de internis

pharmacis explicatum. Suntque eadem, quæ ibi memorata fuerunt; aquosa tepida, unguinosa, pinguia, lactea, mucilaginosa, amylacea.

Indicantur in partium vehementi incitatione, inflammatione vera, rigiditate, duritie.

M. Alberti de abusu emollient. in morbis chirurg. Hal. 1743.

J. D. Grauen Abhandl. von den Erweichmitteln. Lemgo. 1765.

A. G. Richter Pr. de remediis antiphlog. externis. Gœt. 1780.

Eadem fere emollientia, dum acribus aut stimulantibus acuuntur, tumores inflammatorios in subpurationem cogunt, & maturantia evadunt.

J. Chr. Holz. Diss. de maturantibus. Jen. 1790.

2. Adstringentia.

Sunt, quæ fibras laxas contrahunt, atonas incitant; superius quoque explicata. Sub varia virium intensione & modificatione, aut sub diverso secundariorum effectuum intuitu diversas denominationes nanciscuntur. Dum partes flaccidas stringunt, Roborantia simpliciter; dum vulnerum & ulcerum sanationem promovent Consolidantia, Cicatrisantia, dum humiditates absorbent, Exsiccantia; dum hæmmorrhagias sistunt, stiptica & Hæmostatica; dum congestiones humorum e partium laxitate oriundas resolvunt, Discutientia; & dum denique putredinem a partibus jamjam corrumpendis arcent, Antiseptica dicuntur.

A. Roborantia externa.

Eadem omnino sunt cum illis interne agentibus, quæ in sectione de medicamentis excitantibus pertractata fuerunt. Specialius huc pertinent:

a. Permanentia & stimulo fixo in organismum agentia, uti austera pleraque, cortices stiptici, peruvianus & quercinus, tormentillæ & bistortæ radix, gummi kino & laccæ, spiritus vini, saturnina, vitriola martis & zinci, acida mineralia, atque alumen.

b. Volatili, diffusibili stimulo agentia, quemadmodum absinthium, chamomilla, marrubium, mentha, melissa, rosmarinus, ruta, serpillum, thymus &c. vinosa, spirituosa, ætherea.

Indicantur a partiali laxitate, debilitate, flacciditate & atonia.

Fr. Cartheuser de incitamentis mot. natural. externis. Fr. 1765.

— — — — — de conservando, augendo robore per remedia externa. Fr. 1770.

B. Consolidantia.

Hæcce virtus a diversis medicaminibus relativo ad diversum ulcus modo obtinetur; plerumque autem huc illa spectant, quæ vulneribus laxioribus conveniunt, vulneraria etiam dicta; uti aquæ vulnerariæ variarum compositionum, balsama subadstringentia, terebinthinacea, & tincturæ resinosæ, ex succino, myrrha &c. Cicatrisantia omnino eadem.

Chr. J. Lange de remediis vulnerariis. Lips. 1694.
A. E. Buchner de Traumaticis. Hal. 1746.
C. F. Kaltschmied de medicam. consolidant. modo agendi & usu Jen. 1761.
J. D. Grauen Abhandl. von den Wundmitteln, Lemgo 1763.

C. Exsiccantia.

Præter linteum carptum & spongiam, nonnulla ex adparatu pharmaceutico huc referri possunt, tum terrestria & absorbentia, tum & stiptica; ergo amylum, bolus, colophonium, lycopodium, cerussa, lithargyrum, minium, saccharum saturni, aqua calcis & vegeto mineralis.

Indicantur in excoriationibus non inflammatis.

D. Hæmostatica.

Remedia ex classe stipticorum, vasa dilatata aut læsa crispantia & forti stimulo contrahentia; prout acetum, alcohol, alumen, spiritus vitrioli, terebinthinæ &c.; aut vasa etiam comprimentia, obturantia, quo & agaricus, spongia marina &c. sub ligaturarum adplicatione.

Indicantur in hæmorrhagiis passivis, ex vasorum inertia aut laceratione oriundis.

Tamen notandum est, ipsa econtra glutinosa in hæmorrhagiis sistendis perutilia deprehendi. Ita symphitum.

Fr. Hoffmann de Ischæmis S. Sanguinem sistentibus Hal. 1698.

C. Chr. Krause de remediis hæmmorrhagiarum externarum. Lips. 1778.

Bing de remediorum glutinosorum in sistendis hæmorrhagiis vi ac virtute, Hal. 1791. Item Reilius in Memor. clin.

E. Discutientia.

Eadem cum roborantibus & stimulantibus, ast alium in scopum — remoto intuitu adhibita medicamina, dum scilicet partibus roboratis & absorptione promota, congestionem humorum, qua morbosum effectum levant, discutientia vocantur, resolventia externa. Præter integram, excitantium classem, specialius haec & gummiferulacea pertinent, & sales ammoniacales.

Indicantur in tumoribus & extravasatis e debilitate oriundis, ubi tamen organica partis structura adhuc illæsa est. Alias hæcce fere ipsa sæpe qua maturantia adplicantur.

J. H. Schulze de Resolventibus, præcipue topicis, Hal. 1743.

Leidenfrost de coagulo seroso & ejus resolventibus medicinis. Duisb. 1752.

H. F. Delius de discussione & medicam. discutientib. Erl. 1755.

Jahn Diss. de operationibus atq. viis medicamentor. extern. stases systematis lymph. submoventium, Jen. 1792.

F. Antiseptica.

Quæ internis medicaminibus subsulta, partium semimortuarum corruptionem, ex circuli quiete,

organicarumque partium inertia sub circumstantiis putredini faventibus facile oriundam arcent, antiseptica dicta, ex classe tum roborantium, tum stimulantium quidem petuntur; præplacent tamen chirurgis pro externo usu camphora, cortex peruvianus & quercinus, salicis, fraxini, spiritus salis & vitrioli acidus, alcohol, acetum, vinum rubrum, terebinthina, myrrha; ex herbis absinthium, marrubium, ruta, scordium; e radicibus tormentilla, atque chamomilla & arnica e floribus.

Indicantur in partium gangræna non sphacelosa, atque imflammationibus huic stadio proximis.

Th. Grewe de putredine & antisepticis. Duisb. 1782.

3. Anodyna.

Dolorem lenientia, specialia medicamina non existunt, sed pro diversa doloris causa, diversa erunt; quin & obposita esse possunt, mox summe emollientia, mox summe excitantia. Communiter tamen narcoticis plantis vis hæc adscribitur: foliis hyosciami, capitibus papaveris, opio &c., quæ autem sub vero inflammatorio stadio contrarios effectus exserere debebunt.

4. Irritantia.

Irritamentum cuti adhibitum, eandemque validius incitans, aut inflammans, vario gradu & varia intensione agere potest. Tale erit mox Rube-

faciens, mox Vesicans, mox Exulcerans, mox Causticum & substantiam corrodens.

A. Rubefacientia.

Hæc stimulo suo cutem, cui adplicantur, rubefaciunt. Epispasticorum, phænignorum quoque nomine veniunt. Suntque talia acetum forte, alcali volatile, allium, armoracia, cepa, euphorbium, fermentum panis, galbanum, piper, sinapis &c.

Indicantur ab inertia partium organicarum, atque ad obpositum alicui parti stimulum in cute inducendum, revellente, ut ajunt, scopo. Ad summam quoque excitantium remediorum implendam conferunt. (Specialiores eorum indicationes therapia docet).

Hercul. Saxonia de phænignis. Pat. 1593.
J. Hickes de Epispasticorum usu. Edinb. 1776.
Bradley de Epispasticor. usu. Edinb. 1791.
Rougemont über die Zugmittel. Bonn. 1792.

B. Vesicantia

Hæc cuti adplicata non tantum ardorem, ruborem & inflammationem causant; sed etiam epidermidem elevant in vesicam sero plenam. Inserviunt huic scopo, præter rubefacientia diutius aut fortius adhibita, præcipue cantharides, earum tinctura & emplastrum:

Indicantur uti rubefacientia, sed ubi vehementius irritandi scopus & stimulandi; rarius ubi

epidermis a cute seperanda, aut ubi seri evacuatio instituenda. Posteriori modo adplicata, debilibus quandoque fæda ulcera relinquunt. (Plura in therapeuticis).

B. Cajus de Vesicantium usu. Ven. 1606.
D. Tirelli Dilucid. de Vesicat. Ven. 1607.
Obicius de Vesicatoriis. Vic. 1618.
A. Massaria de abusu Vesicant. Ven. 1656.
V. Martini de Vesicant. administrat. Ven. 1656.
A. H. Faschius de Visicatoriis. Jen. 1673.
B. Janssen de Vesicator. Hard. 1688.
Sinnibaldi Apollo bifrons. Rom. 1690.
J. Fr. Ortlob de Vesicator. Lips. 1696.
F. Santanielli dell' usu. de Vesicat. Ven. 1698.
Schweiker de Vesicator. Fran. 1701.
G. Ph. Neuter de Vesicat. usu. Arg. 1704.
G. H. Crater de Vesicat. usu & abusu. Erf. 1704.
G. Detharding scrutin. medic. Vesicator. Rost. 1713.
Salomon de Vesicator. Vien. 1726.
Bacmeister de Vesicator. usu. Hal. 1727.
Fr. Hoffmann de Vesicator. præstantia. Hal. 1727.
— — — — de Vesicant. circumsp. usu. Hal. 1736.
T. Copius de Vesicator. Duisb. 1730.
J. G. Bowden de usu & abusu vesicat. L. B. 1739.
J. Perez de Vesicantibus. L. B. 1742.
H. P. Juch de Vesicat. agendi modo & usu Erf. 1745
J. A. Zobel de modo agendi & effectib. Vesicant. Arg. 1751.
A. E. Buchner de Vesicant. usu. Hal. 1765.
A. J. Brandt de Vesicator. Vin. 1768.
Timmermann de Vesicant. locis. Rint. 1771.
Bose de Vesicatoriis recte utendis. Lips. 1776.
B. L. Tralles usus Vesicant. salubr. & noxius. Berol. 1776.
M. A. Reyſs de Vesicantibus. Vien. 1781.
Douly de Vesicant. usu. L. B. 1784.

Th. L. Usenbenz de Vesicator. Hal. 1785.
Hartmann & C. F. A. Beust Diſs. de Vesicant. usu & abusu. Fr. 1790.
Niemann de cantharisationis externæ effectibus. Weiſsenf. 1791.
J. L. Pertsch de usu Vesicant. Jen. 1793.
V. H. Rube de remediis vesicantib. & rubefacientibus. Marb. 1794.

C. Exulcerantia.

Artificialia ulcera in superficie producunt, atque subpuratione, quam causant, fonticulorum fere vices agunt. Habentur ex cortice mezerei, radice ranunculi variarum specierum.

D. Caustica (corrosiva).

Hisce substantia organica viva quævis arroditur, consumitur, præcipue vero ubi delicatiori vestimento tecta, aut penitus eo orbata. Inserviunt ad abscessus absque scalpello adperiendos, ad carnem fungosam auferendam, cariem exstirpandam, ad venena carni insinuata destruenda &c. suntque ærugo, alumen ustum, arsenicum, auripigmentum, alcalina fixa & volatilia caustica, calx viva, acida mineralia concentratissima, butyrum antimonii, lapis infernalis, mercurius sublimatus corrosivus, præcipitatus albus & ruber, vitriolum cæruleum; ex vegetabilibus pulvis herbæ flammulæ Jovis, atque olea nonnulla stillatitia, præcipue exotica, caryophyllorum, cinnamomi, camphoræ &c.

Van Sanden Diſs. de causticis medicam. Reg. 1697.
G. W. Wedel de Corrosivorum natura, usu & abusu Jen. 1698.

J. W. Werner Diss. de medicam. corrosiv. Reg. 1740.

J. Junker de septicis. Hal. 1742.

Ipsissima, dum leniori gradu ad superficiem ulcerum leviter arrodendam adhibentur, detergentia sive depurantia habentur; aut etiam subpurantia, dum ulcerum subpurationem promovent.'

H. Ludolff de medicam. suppurant. modo agendi & usu. Erf. 1763.

5. Depilatoria.

Depilatoria sunt, quæ pilos a cute auferunt, eamque glabram & velut callosam relinquunt. Suntque:

A. Dropaces, sive tenacissima remedia adhæsiva uti pix, quibus emplastri forma adplicatis capilli adeo tenaciter adhærent, ut deinde vi externa, non quidem sine insigni dolore, evelli possint.

B. Philotra, quæ corrosiva quadam natura pilos, eorumque bulbos fere destruunt, pilique nutritionem ulteriorem impediunt; prouti auripigmentum, calx viva &c.

6. Antiphtyriaca.

Talia sunt, quæ pediculos, aliaque insecta necant, & fugere cogunt; uti mercurialia præparata, terebinthinacea, oleum amygdalarum amararum destillatum, & anisi, folia nicotianæ, ledi pallustris, semen sabadillæ & petroselini &c.

CAPUT OCTAVUM.

DE DISPENSATORIIS.

Primis artis medicæ temporibus, ubi numerus medicorum exiguus adhuc erat, plurium seculorum spatio medici ipsimet legendis parandisque pharmacis operam dederunt. Tempore priscorum Græcorum autem occurrunt tales jam, qui seplasiarii, Aromatarii, Pigmentarii, Unguentarii, Medicamentarii, Myropolæ, Pharmacopolæ, Circumforanei &c. dicti, medicamina quædam vendiderunt; a nostris tamen hodiernis pharmacopolis multum distincti fuerunt. Copia medicaminum deinde aucta, numerusque morborum & ægrorum increscens, tales homines necessarios fecit, qui Apothecariorum, Confectionariorumque nomine pharmaca dispenderent. Vix quidem determinari potest, quonam tempore ars pharmaceutica a medico practica separata fuerit; certum tamen est, Arabum

tempore eas jam separatas fuisse, scientiarumque inde in Europam transitu, nostris in terris ipsum hoc factum fuisse.

Postea, ubi provinciarum regimina magis magisque cognoverunt, quantum ad reipublicæ integritatem contribuat civium incolumitas, eo quoque respexerunt, ut medicamina publice divendita, eorumque præparatio ac distributio pharmacopolarum ignorantiæ aut arbitrio non relinquantur. Sub publica ergo auctoritate præscriptiones, normasque ediderunt, medicaminum in usum communem divendendorum catalogum & præparandi modum comprehendentes. Talesque libri Dispensatoria, aut Pharmacopœæ dicebantur, publici fere codices pharmaceutici.

Cumque Pharmacologia & ars pharmaceutica cum genio atque progressu doctrinæ chemicæ & therapeuticæ pari passu fere procedere soleant; hinc Dispensatoria illa ævis medicis semper fuere adcommodata, atque serius a farragine ridicule compositorum medicaminum, simpiiciumque superflua copia, nec non a fatuis omnibus & superstitiosis remediis expurgata, dum ars medica indies divinæ simplicitati se adproximaverit, solis necessariis & utilibus medicaminibus contenta.

An autem cum Dispensatoriis hisce nostris simplicioribus redditis, medici simul hodierni omnes simpliciores in medendi sua ratione evaserint, quæstio mere exoritur, cui observatio quotidiana haud adfirmative respondet. Hinc medicorum horumce in gratiam fere, sicuti & superstitiosæ, certisque fatuis medicaminibus adherentis ple-

bis causa, nonnulla minoris efficaciæ pharmaca relicta fuerunt, superflua quidem prudenti medico, non tamen damnosa, nisi in quantum melioribus sub morbo non substituantur.

In usum provinciarum nostrarum nostro ævo prodiverunt Dispensatoria dicta Austriaco-Viennensia 1729. 1734. 1765. 1770. Fol.

Pharmacopœa austriaco provincialis emendata, 1775. 1780. 1784. 1794. 8.

Pharmacopœa austriaco castrensis. 8. Vien. 1795.

Privata medicorum Dispensatoria, quæ vero publicam auctoritatem non habent, nec fors merentur, innumera fere sunt. Inter publica autem provinciarum Dispensatoria nominari merentur:

Pharmacopœa Collegii Reg. med. Edimburgensis. Edimb. 1774. 8.
Neues Edimburger Dispensatorium übers. von S. Hahnemann. Leipz. 1797. II. Th.
— — — — Londinensis. Lond. 1788. 8.
Londner Apothekerbuch übers. von C. G. Eschenbach. 8. Leipz. 1789.
— — — — Parisina S. Codex medicamentarius. 8. 1760.
— — — — Danica. 4. Havn. 1772.
German. von Schlegel. 8. Gotha 1776.
— — — — Suecica. 8. Holm. 1779.
germ. 8. Leipz. 1782.
— — — — Wirtembergica. Fol. Stutg. 1786.
— — — — Rossica. 4. Petrop. 1778. 1797.

Pharmacopœa Rossica navalis. 8. Petrop. 1784.
— — — — Helvetica. Præf. Alb. de Haller. Fol. Basil. 1771.
— — — — Palatina. 4. Manhem. 1767.
— — — — Madritensis. 4. Madrit. 1739.
— — — — Lusitana. Fol. Lisb. 1711.
— — — — Amstelodamensis. Amst. 1714.
— — — — Leidensis. 8. Leid. 1770.
— — — — Hamburgensis pauperum. 8. Hamb. 1781.
— — — — Castrensis Borussica. 8. Berol. 1794.
Dispensatorium reg. & elect. Borusso Brandenburgicum emendatum & auctum. Vratisl. 1744. Berol. 1781.
— — — — — pharmaceuticum Brunsuicense 4. Brunsw. 1777.